apparatu, qui toti Inferno terribilis eſt, hoſtem præſtolatur. Fortaſſe poſt S. Job, qui ſua patientia, ac fidelitate factus eſt æternum eorum omnium exemplar, qui tentantur, & qui propter juſtitiam perſecutionem patiuntur, nemo eſt, cui dæmon crudelius, atque pertinacius, quam huic ſolitario bellum indixerit. Puto, Deum huic tentatori dixiſſe. Permitto, ut virtutis ſervi mei periculum facias: eum totum tibi trado, veruntamen animam ejus ſerva; vitæ enim illius nullam te inferre noxam volo. Tentator hac obtenta facultate, veluti furens bellua, quæ ſua vincula fregit, omni furore irruit in prædam; omnibus Inferni dolis utitur, omnemque tentationum ſuarum apparatum contra fidelem hunc famulum inſtruit. Seſe offert illi modo ſub horribilibus imaginibus, ut perterrefaciat, modo ſub jucundis ſpeciebus, ut fallat. Illum ſimul tanquam leo furens, ac blandus ſerpens aggreditur; vel ſeſe ſexcentis rationibus complicat, ut leniter in animam obrepat; vel violentas iterat oppugnationes, ut illum proſternat. *Abbas du Jarry, ſermone de S. Antonio.*

Tentationes aliquando nobis ſunt neceſſariæ.

Tentatio nobis eſt neceſſaria, quod ſine illa ſemper inertes, ac negligentes eſſemus; naturaliter enim amamus commoda noſtra, & mollitiem vitæ, quæ noſtram fovet inertiam; quod chriſtianæ vitæ oppoſitum eſt, quæ eſſe debet juge prælium, & bellum palam noſtris indictum cupiditatibus. *Idem.*

In tentatione ad Deum confugiendum eſt.

Vides, Domine, ſi dæmon auſus eſt, incomparabilem tentare ſanctitatem tuam, adverſus quam nullam habebat poteſtatem, & quæ e contra plures ob cauſas illi erat formidanda; ſi infinitam innocentiam, robur invictum, conſummatamque virtutem laceſſere non dubitavit; ſi æternis adverſatus eſt conſiliis tuis, ut illa ſubverteret; quid non conabitur adverſus hominem infirmum, qualis ego ſum, natum in miſeria, immerſum in limo, corruptione repletum? Scis, rugientem hunc leonem nunquam dormire, quærere, ut devoret me, nihil prætermittere, ut mihi noceat, quocunque obrepere, indeſinenter in malum impellere, ſemperque attentum eſſe, ut quacunque in occaſione mihi tendat inſidias. Nonnunquam formam induit Angeli lucis; deliteſcit ſub ipſa virtutis ſpecie, ſub propriis ſtudiis meis, immo etiam ſæpe ſub tuis beneficiis: me ubique, modiſque omnibus, intus, & extra laceſſit. Niſi gratia tua mihi opem tulerit, quomodonam reſiſtere potero inimico adeo potenti, callido, & indefeſſo? Tua igitur intereſt, qui inimico huic præcepiſti, ut me tentaret, hanc mihi veniam concedere, ſine qua me ipſum tueri non poſſum. *Liber cui titulus: Paſſiones J. C.*

Miſeri ſumus, qui ſexcentis obnoxii tentationibus ſumus, & in pereundi periculo.

Quid? Semperne dæmones nobis erunt oppugnandi, affectiones ſuffocandæ, tentationes vincendæ? Quid ſemper adeunda pericula? ne unum quidem ſecuritatis momentum; ubique laquei, & inſidiæ? Quid? me ipſum damnare, animamque meam, ac Deum meum perdere, quotieſcunque reſpiro? Unicus ſatis eſt oculorum conjectus, cogitatio unica, ut quinquaginta, vel ſexaginta annorum laborem, ac merita amittam? In me ipſo diviſus ſum, mihi cavendum eſt ab illis, quæ ſunt mihi chariſſima, quidquid mihi placet, me corrumpere poteſt, quidquid naturæ meæ conforme eſt, inimicum eſt virtutis meæ, omnes ſenſus mei rationem meam in errorem inducere quærunt. Ego ne voluntatis quidem meæ arbiter ſum, illa vult, quod ego nolo, amat, quod odi, me adigit ad id conſectandum, quod fugio. Quæ vita! quæ miſeria! quod ſupplicium! qualis internus! *P. de la Colombiere.*

Modica hominum in tentationibus vigilantia.

Sæpe non cognoſcimus periculum, in quo verſamur amittendi bona ſpiritualia, atque naufragium miſere faciendi. Sæpe procella agitamur, atque malacia frui credimus; ſæpe uti Jonas in navis carina dormitamus, cum interim venti illam alliduunt in ſcopulo, ac prope ſunt, ut eandem abſorbeant: ſæpe etiam putamus tempeſtatem nobis eſſe propitiam: inordinatus hic nobis placet effectus; cupiditas illa nobis æqua videtur; tantum abeſt, quod tentationi huic reſiſtamus, ut potius illi velificemur, ejuſque vires augeamus; ac interim ad interitum properamus, niſi celeriter confugimus ad opem, quam nonniſi a Deo poſſumus obtinere. *P. Novet in meditationibus.*

Nulla nobis a dæmone ſperanda pax eſt.

Quandoquidem nobis res & cum dæmone, qui apertus eſt hoſtis, ex certaminis inter utramque partem inæqualitate judicare eſt, prælium hoc nequaquam diu permanſurum, ac hominem quam primum inimici impotentia ſuperatum iri, niſi pro ipſo cœlum militaret, & niſi illi opitularetur ſpiritus idem, qui Salvatorem in deſertum adduxit, ut illius exemplo nobis aditum aperiret ad pugnam, atque victoriam, cui Chriſtianus quilibet præparare ſe debet, ut inquit Scriptura, ex eo momento, quo ſeſe Dei cultui devovet, quin toto vitæ ſuæ tempore vel pacem ſperet, vel inducias; cum enim odium, quo illum proſequitur Sathanas, ſit immortale, ideo bellum, quod infert eidem, nullum habere poteſt finem; quamobrem Chriſtianus aſſidue ſibimet invigilare tenetur, & cuſtodire cor ſuum tanta cura, & præcautione, quanta ſi inter abyſſos, præruptaque incederet loca; omnia in mundo reformidans, oculorum conjectus, viſitationes, converſationes, negotia, ſolatia, voluptates, ac ſeipſum magis quam reliqua, ſuam nempe naturalem infirmitatem. *Abbas de S. Martino, ſermone hujus argumenti.*

Tentationum ſuperandarum ratio eſt illas evitare.

Magna plerarumque tentationum ſuperandarum ratio eſt illas evitare ab illis abhorrendo locis, & ſocietatibus, ubi tot contra charitatem, & honeſtatem fiunt, ab illis muneribus, & officiis, quorum exercitium adeo delicatum eſt, & ubi difficile eſt conſcientiam, ac Dei legem tueri. Sed heu! non ſolum non vitantur, ſed perquiruntur; amatur periculum; naturale ſtudium occaſioni, & cupiditas tentationi accedit, & neque in magiſtratibus ab iniquitate, neque a mala fide in negotiis, neque a detractione in cœtibus, neque ab intemperantia in conviviis, neque a pravis cogitationibus, ac turpi licentia in colloquiis, & viſitationibus ſibi quiſpiam cavet. Cor e contra omnibus patet, omnibus afficitur, & nihilominus in integra vivitur ſecuritate. *Idem.*

Salvatoris exemplo tentationes vincere debemus.

Omnia tentationi ſubjecta ſunt; ſanctiſſimæ etiam animæ nequaquam immunes fuere; mala, quæ illa parere poteſt, infinita ſunt, obices, qui illi opponendi ſunt, non ſatis bene intelliguntur, Hoſtes, qui nos laceſſunt, terribiles ſunt, nec minus verſutiæ habent, quam roboris, quippe conſueverunt virtuti inſidias ſtruere; & quo plus ſanctitatis inveniunt, eo plus adhibent artis. Quod autem eſt nobis faciendum; hoc videlicet eſt, noſmet conſtantia, ac fortitudine ad omnes eorum conatus propulſandos armare. Vicimus in J. C. quantum in nobis eſt, contendamus, ut ille vincat in nobis, & illius exemplo vincamus. Membra capiti reddant ejus honoris partem, quam ab eo perceperunt, ac ſecundum S. Pauli verbum in ſe ipſis adimpleant ea, quæ deſunt paſſionum divini hujus capitis. *Ex Abbate de Pezenne, in ſermone hujus argumenti.*

Caro, & concupiſcentia noſtra ſecretum habent cum dæmone conſenſum.

Si dæmon eſſet ſolus adverſum nos, non admodum nobis eſſet metuendus; & niſi illi opitularemur, ut de nobis victoriam reportaret, non arduum eſſet ex eo victoriam referre. Arma, quibus vehementius contra nos utitur, ea ſunt, quæ illi commodamus, & quæ domi noſtræ nanciſcitur. Nonniſi noſtræ carnis ope potitur anima, ac noſtra concupiſcentia prodit cor noſtrum, efficitque, ut crudelis hic inimicus nobis dominetur. Hoc dixit S. Jacobus Apoſtolus cap. 1. unumquemque videlicet a ſua concupiſcentia tentari: *Unuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus*; ut intelligamus, dæmonem periculoſum non eſſe, niſi quod caro cum illo ad excidium noſtrum conſpirat. *Specimen ſermonum pro Quadrageſima ſerm. 1.*

Non magna vi, magniſve dolis utitur dæmon, ut quoſdam ad peccandum impellat; ſatis eſt, ſi exiguum oſtendat lucellum, inanem glorioſam, perfunctoriam voluptatem; ſufficit ſolum, ſi illis hæc communia concupiſcentiæ oſtendat objecta: *Oſtendit ei regna mundi*, ut loquitur Evangelium Matth. 4. & Luc. 4. *Oſtendit*. Heu! quod probrum, quæ turpitudo pro illis, qui chriſtiana profeſſione cenſentur! Satis eſt, ſi per oculos eorum traducat voluptatis umbram, phantaſma gloriæ, & prælationis, lucri, & utilitatis ſpeciem, ut ſexcenta capitum millia ad Sathanæ pedes proſternat: *Oſtendit illi*. Fromentieres; ſermone pro prima Quadrageſimæ Dominica.

Tentationis progreſſus.

Dæmon, callidus ille inimicus, incipit petens, ut ſibi aures adhibeantur; mox nos detinet in iis cogitationibus, quas nobis ſuggerit, efficitque, ut ibi voluptatem aliquam inveniamus. Deinde ægrius recedimus ab occaſione, quæ illas in nobis ciet; animæ vires paulatim infirmantur, adſpectus, ac reverentia Dei præſentis imminuitur, tandem voluntas omnino conſentit, & dæmon non ceſſat, niſi actio fuerit conſummata. Præteritorum experientia efficit, ut ardenter actus deſiderentur, actus iterati habitum formant, quæ illa funeſta catena eſt vix ſummo labore infringenda, qua dæmon utitur, ut nos detrahat in præceps. Sed cum invenit voluntatem, quæ illi mordicus obluctari conatur, quæ primis illius ſuggeſtionibus aures obſtruit, quæ illum ſtatim ſtrenue propulſat, ignavus hic inimicus illico

lico cedit, & nunquam victoriam reportat. *Liber, cui titulus: Paſſiones Jeſu Chriſti.*

Tentationes in hac vita ſunt aſſiduæ.

Prælium nobis contra mundum, contra noſmet ipſos, contra dæmonem ſuſtinendum nequaquam certum tantummodo tempus, certamque vitæ noſtræ partem perſeverat; juge eſt; nobis res eſt cum hoſtibus, qui nunquam fatigantur, & nunquam poſſunt reconciliari. Si hoc tentationis genus minus illis cedit e ſententia, ad alterum ſe convertunt; ſi hac ex parte animam noſtram munitam inveniunt, ex altera illam oppugnant; interioribus exteriores addunt tentationes; ſi hunc effugimus laqueum, alios plures tendunt; & ſi ex aliqua tentatione victores objicimus, nos perdere conantur per tentationem inanis gloriæ, quam propter eamdem victoriam inſpirant. *Specimen Ethicum tom. 5.*

Quidquid in mundo eſt, tentare nos poteſt.

Quantumvis liberales ſint animi noſtri affectiones, ſemper tamen intra noſmet gerimus mortis reſponſum; viæ omnes, quibus ſepti ſumus, ſcopuli ſunt, præruptaque ſaxa, quæ per noſmet evitare nequimus. Mundus ipſe, in quo vivimus, magna eſt, & aſſidua tentatio: ratio ipſa nos a via recta deducit, amor proprius excæcat, caro corrumpit, ſenſus decipiunt, negotia diſſipant, objecta ſeducunt, ſpectacula faſcinant, ſocietates in omnem libidinem pertrahunt, exempla trahunt, uſus confirmant, mandata deterrent, diſplicent conſilia, pœnitentia tædio afficit, inflat ſcientia, morbi proſternunt, & adverſa afficiunt, ut in queſtus, atque murmur erumpamus, &c. Denique omnia nobis ſcopulus ſunt, omnia lapſus occaſio, omnia tentationis objectum. *P. Maſſillon, ſermone de oratione.*

Hoſtes, quibuſcum nobis pugnandum eſt in tentationibus.

Voſmet colligite, atque conſiderate hanc deſideriorum, & cupiditatum farraginem, cum qua vobis eſt decertandum. Hi ſunt inimici eo periculoſiores, quo magis illos amatis, eo terribiliores quo jucundiores vobis ſunt ictus, quos inferunt, cum vos nunquam magis eos diligatis, quam cum vos occidunt. Jam maximum malum eſt ſinu ſuo complecti tot domeſticos inimicos, qui ſe amicos ſimulant; ſed non minus malum eſt tot circumundique habere tam viſibiles, quam inviſibiles; itaut quocunque noſmet convertimus, eorum tentationem evitare nequeamus. Creaturæ omnes, quæ pulchritudine, vi, ac uſu ſuo nos deberent ad Deum amandum attollere, totidem laquei ſunt, in quos impingimus. Dæmon ipſe, tanquam leo rugiens illud ſemper quærit momentum, quo nos imparatos inveniat, ut devoret. Denique ita periculis, atque tentationibis ſepti ſumus, ut qualibet hora, quolibet momento, niſi potenti manu ſua nos Deus retineat, parati ſemper ſimus cedendo. *Liber cui titulus: Vera orationis idea.*

Dæmonis artificium nos in ſcelus protrahentis.

Vix animo concipere poſſumus, quas illuſiones amor proprius gignat in animabus eorum, qui Deo volunt ſervire. Hoc innuit regius Propheta Pſalm. 139. cum ait: *Juxta iter ſcandalum poſuerunt mihi*: videlicet dæmonem metuenti Deum nequaquam proponere, ut ea ſequatur, quæ palam mala ſunt, at illis oſtendere aliam viam, quæ non procul a Dei via abhorrere videtur. Eadem immo videtur eſſe; eadem ferme cuncta ibi fiunt, eademque illic pietatis exercitia excoluntur, ſed æque differt a priori, ac cœlum diſtat a terra; in altera quippe nos tegit lumine ſuo ſpiritus Dei; in altera vero ſpiritus hominis ſequitur ſe ipſum, & tenebras ſuas pro vero ſemine ſequitur. Hæc eſt dæmonis ars, periculoſa tentatione aberrare nos facit, cumque volumus arctam ſequi viam, ut ſalutem noſtram operemur, nos inde avertit, non proponens aliam, quæ lata palam videatur, ſed eam, quæ eſt inter utramque, & quæ aliquam habet cum arcta via ſimilitudinem; ſed in qua videt nos interituros: *Liber cui titulus*: Inſtructiones Chrètiennes.

Remedia contra tentationes.

Remedia contra tentationes ſunt, de ſe ipſis diffidere, non confidere in victoriis, quæ olim relatæ fuerunt, ſibimet quam diligentiſſime invigilare, impuritatis peccatum fugiendo oppugnare, leviſſimas occaſiones, quæ ad illud viam aperiunt, evitare, non cedere dæmonis verſutiis, qui primum quidem in eas adducit neceſſitudines, quæ culpa vacare videntur inter diverſi ſexus perſonas, & quæ fortaſſe diu culpa vacant, ſed quæ nec opinantibus nobis repente Dei amicitiam eripiunt. Ad id omnes evitare familiaritates, & quodvis licentiæ genus, quamvis nullum admodum grave periculum adeſſe videatur, ac præſertim celeriter pravis cogitationibus adverſari. Cogitemus, quid facturi eſſemus, ſi ignita pruna in manus, aut veſtimenta noſtra decideret; nunquid illam excutere, ac rejicere cunctaremur? Hoc ipſum faciendum eſt cum impuris cogitationibus; quæ totidem prunæ ſunt dæmonis flatu ſuccenſæ. *Boudon in libro, cui titulus; Chriſtianus ignotus.*

In tentationibus conſenſus peccatum facit.

Non injuria Sapiens nobis hoc præbet conſilium: *Omni cuſtodia ſerva cor tuum.* In hoc omnis impendatur induſtria, ut cor tuum cuſtodias, ac prohibeas, ne quid in hanc animæ partem ingrediatur, quod illam corrumpere poſſit; & rationem addit: *Quia ex ipſo vita procedit.* Prov. 4. Cum inordinatum eſt cor, tunc reliqua inordinata non eſſe nequeunt; hactenus nihil eſt niſi tentatio. Objectum ſenſibus accidat, ſeſe oculis noſtris objiciat, mentem repleat, ac inde intellectus etiam ipſe ſollicitetur, noſtram non lædet conſcientiam, niſi illud voluntas receperit; ſi illa omnes has cogitationes, atque imaginationes rejecerit, ſemper hoc illi erit meriti argumentum. At voluntaſne ſuperari ſe paſſa eſt; ex illiciti objecti cogitatione ullane oblectatione perfuſa eſt? cor aſſenſumne præbuit? licet ad breve momentum præbuiſſet illum, ſatis eſt, jam culpa non vacat. *P. Gegou in libro, cui titulus: Uſus ſacramenti pœnitentiæ.*

Fugienda ſunt loca, & objecta ubi tentatio magis eſt metuenda.

Si, qui in ſeceſſu, & procul a mundi luce vitam traducunt, magnas tamen in vita chriſtiana difficultates inveniunt, in penitioribus etiam aſceteriorum adytis; ſi cœnobitis ipſis aliqua offunditur macula ex mundi commerciis, tunc etiam cum vel charitas, vel neceſſitas eos in mundo verſari jubet, & cum ſibi quam diligentiſſime invigilant, ut reſiſtant; quænam eſſe poſſunt vulnera, & lapſus eorum, qui ſenſibus ſuis obſequentem ducentes vitam iis ſe objiciunt tentationibus, quibus fortiſſimus quique vix fortaſſe quidem reſiſtet? De his, ſi cum ſanctis hominibus eos contulerimus, dicere poterimus, quod Job inquit de homine illum cum Angelis comparans: *Ecce qui ſerviunt ei non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis repetit pravitatem: quanto magis hi, qui habitant domos luteas, conſumentur veluti a tinea?* Jobi 4. Si ſpiritus illi, qui Deo tanquam miniſtri deſerviunt, ſtabiles vix ſunt, & in Angelis ipſis deprehenduntur defectus, quanto magis animæ in corporibus, tanquam luteis domibus concluſæ, corruptioni, & peccato erunt obnoxiæ? *Ex ſpecimine Ethicorum, tractatu de Comœdia.*

Vigilantes eſſe, ac metuere tentationes oportet.

Cum in hac vita perfectam, ſecuramque pacem, quæ in cœlo dumtaxat reperitur, ſperare non poſſimus, quandoquidem plurimum nobis metuendum eſt a corpore, quod gerimus, & quo circumdati ſumus; metuamus, quoniam inter prærupta incedimus loca, inter potentes inimicos, & extrema nobis infirmitas eſt ad eorum vim propulſandam; ſed timor ſapiens, ac prudens ſit, qui efficiat, ut nobiſmet ſemper invigilemus; ac iſte nos ab inimicorum inſidiis, & quolibet lapſu tuebitur. Metuamus, quia nos ex nobis nil poſſumus; ſed fiducia noſtra ſuperet metum, quoniam poſſumus omnia in JESU CHRISTO, & Deus, qui fidelis eſt, nos ſupra vires noſtras minime tentari patietur. *De S. Martha, tom. 1. tractatuum aſceticorum, tractatu de tumultibus ſpiritus cap. 34.*

Utinam frequenter id cogitaremus, & ſaluberrima hæc cogitatio ſæpe ſingulorum menti occurreret, cum nos tentat Sathanas, cum nos caro ſollicitat, vel allicit mundus. Peccatum, quod patraturus ſum, me coram Deo execrabilem faciet, & ab illo fortaſſe in æternum arcebit. Honor, qui oculos meos ſtringit, voluptas, quæ me palpat, vel utilitas, quæ me trahit, exiguum, ac leve quiddam eſt, quamvis illud mihi ingens, & magnum mea obtrudat cupiditas; ſed quanti illud mihi ſtatutum eſt in hora mortis! Eſca mihi ſuaviſſima, & jucundiſſima videtur, ſed quam crudelis, funeſtuſque eſt hamus, quam tegit! Denique ſi peccato aſſenſum præbeo, me in eum ſtatum adduco, ubi, niſi miſericordia ſua mecum utitur Deus, nulla mihi ſuperanda ſalus eſt, nullaque vitæ ſpes reliqua eſt mihi. *Liber, cui titulus: Dialogi Joannis Abbatis, & Euſebii Preſbyteri.*

Calliditas dæmonis imminuentis noxam, cum patranda eſt, eamque amplificantis, cum patrata eſt.

Hæc dæmonis eſt ars; efficit, ut graviſſima quælibet flagitia iis, quos ad peccandum adigit, levia dumtaxat videantur crimina; & ſcelera, quæ maxime nefaria ſunt, ad ſummum infirmitatis peccata cenſeantur; quapropter horrore, quo deterrebatur antea ille, quem ita fallit, paulatim excuſſo, ſenſim ſine metu his aſſueſcat monſtris, ad quorum conſpectum antea maxime trepidabat. Similiter mors, judicium, ac infernus, quorum vel leviſſima idea olim graviſſimos ciebat tumultus, & quæ ſibi in ſingula momenta imminere arbitrabatur, jam ita longe ſepoſita videri incipiunt, ut nullo amplius metu afficiatur; vel ſi quam ſentit impreſſionem, hæc adeo levis,

levis, & infirma eſt, ut nullo pacto æquare poſſit voluptatem, lucrum gloriam, quam illi proponit diabolus, ut eum in errorem inducat, & fallat. Sed poſtquam internecinus hic hominum hoſtis adeo perniciosa verſutia illum in omnia, quæ voluit, præcipitem dedit flagitia, tunc eadem illi ita magna, & enormia repræſentat, ut miſer peccator priores corrigens ideas leviſſimas etiam noxas tanquam horribilia exiſtimet ſcelera, lapſus quos antea ſimplicia infirmitatis ſuæ argumenta pendebat, jam conſummatæ improbitatis effectus illi videantur. *Idem.*

Indeſinenter contra tentationes vigilandum eſt.

Vigilate, & inceſſanter orate, Apoſtolis ſuis Salvator dicebat: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Si animæ integerrimæ, ſi diſcipuli, quibus maximus fervor eſt, ſemper timere, ac indeſinenter orare debent, ac vigilare, quiſnam ignavos, imperfectoſque Chriſtianos in tuto eſſe putabit? Mundani homines, qui ſemper hilares, lætique ſunt, & voluptatibus dediti, qui dies ſuos in otio, & mollitie traducunt, in tuto ne ſunt ab omnibus periculis, ita ut vigilare, orare, ac metuere non teneantur? Vita noſtra, Scriptura inquit, militia eſt, & jugis tentatio; ſemper igitur oportet vigilare. Sed tot inter pericula homines plerique nihil diffidunt: *Quid tu ſopore deprimeris?* Jonæ 1. Quinam in utramque aurem vertere potes tanto in periculo, & adeo vehementi procella agitatus? Nulli adeo eminens virtus eſt, cui de ſalute ſua non ſit trepidandum; nullus eſt ordo ita ſanctus, nullus locus ita remotus, nulla ita horrens ſolitudo, ubi prudenter noſmet diſpenſare poſſimus a jugi oratione, ac vigilantia, ne ab hoſte fallamur; nemo ſanctorum eſt, qui in ipſa auſteriſſimæ pœnitentiæ exercitatione periculum hoc non reformidaverit. *P. Croiſet tom. 2. conſiderationum.*

Quomodo tentationes metuendæ ſint.

Beatus vir, qui ſemper timet, Sapiens ait Prov. 18. Quæ temeritas! quæ ſtultitia! per hoſticum, per ſalebroſam, difficilemque viam, concubia nocte, ac inter caliginem ſine metu ambulare. Non quæritur inanis timor, qui tumultu ſuo periculum augeat; in periculis tranquillitate, ac patientia opus eſt, ita ut ad tentationis adſpectum animos non deſpondeas. Quæritur ſapiens, & chriſtianus timor, qui animam attentam efficit, quin illam perturbet, arcet illam a laqueis, quos illi nectunt inimici, eamque cogit ſibimet invigilare adverſus tentationem. *P. Croiſet tom. 2. conſiderat.*

Quam utilis ſit tentatio, & quam ad noſtram perfectionem conducat.

Dei filius Apoſtolorum ſuorum periculum facturus eoſque in fide confirmaturus permiſit, ut ſe dormiente procella ſæviret. Tu nobis hoc exemplo oſtendis, Domine, quid ſæpe contingat in corde eorum, qui tibi ſerviunt, ac pie vivunt; nulli ſunt, in quibus non ſinas efformari tentationes, quæ ſunt veluti procellæ in animabus eorum inſurgentes, earumque ſerenitatem quodammodo perturbantes. Hoc tamen virtutem tuetur, roborat, auget. Tentatio eſt quædam veluti probatio fidei, ut Apoſtolus inquit, quæ patientiam operatur, patientia vero perficit opus, ita ut per illam acquiri poſſit ſtatus perfectionis, qui nullum patitur defectum. *Abbas Trappenſis in moralibus conſiderationibus.*

Sancti, ac pii homines credere non debent ſe ab omnibus tentationibus immunes futuros.

Non eſt, cur pii homines putent ſe ad Deum ituros per vias ſtratas, roſiſque conſitas; neque aliquid ſibi arduum futurum, ex quo mundum reliquerint, ac Dei manum depulſuram, quidquid poterit illis negotium faceſſere, ac perturbare tranquillitatem, quam in receſſu ſuo ſe inventuros ſperarunt. Sciant e contra opus eſt, tentationes ſibi nunquam defuturas, nullum eſſe locum, nullumque ſtatum, in quo immunes ab illis eſſe valeant ſecundum ea, quæ ſcripta ſunt: *Fili accedens ad ſervitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem.* Eccli. 2. Pacem, quam Deus promittit, & largitur animabus ſibi ſervientibus, inter prælia, & ærumnas, non ſecus ac roſam inter ſpinas, oriri: Deum nunquam pollicitum fuiſſe ſe prohibiturum, ne tentaremur; ſed opem tantummodo collaturum, ne ſupra vires tentaremur, & immo ut ex tentationibus fructum perciperemus juxta illa Apoſtoli verba: *faciet etiam cum tentatione proventum.* 1. ad Corinth. 10. Verbo, tentationes purificant animas, eas muniunt, roborantque, illas ad perfectionem attollunt, provehunt in via virtutis, eaſque dignas ea beatitudine præbent, quæ ipſis a Deo præparatur. *Idem in conſiderationibus moralibus in S. Luca Evangelium.*

Dæmonis poteſtas.

Dæmon, poſtquam ſæpius homines in ſuos impulit laqueos, fit ſemper potentior; ejuſque poteſtas in hoc ſita eſt, quod non ſolum ſuggerit malum, verum etiam in illud vehementer impellit. Quamobrem a Deo *fortis armatus, & princeps hujus mundi vocatur*; atque cum ille de imperio dæmonum verba facit, eos poteſtates tenebrarum appellat. Tota eorum poteſtas noſtræ innititur concupiſcentiæ, & improbitati, necnon vi, quam ex pravis noſtris affectibus, habitibuſque mutuatur. Hinc illi tantum habent imperium, tot excitant tempeſtates, tot clades pariunt. Nulla in terris poteſtas eſt, quæ cum illius poteſtate ſit comparanda, dicebat Deus Job de Behemot dæmone loquens. Nullus eſt ita ſacer locus, nullus ſtatus ita ſanctus, quo ſpiritus nequam non ingrediatur cum poteſtate, & nonnunquam etiam triumphantis more, cum aditus illi aperitur. Si illic vitium, atque cupiditatem nanciſcitur, ibi ſedem figit, & nonnunquam ita certam ſibi manſionem facit, ut nullo pacto valeat depelli. Non alia ſuppetit ratio evitandi poteſtatem ejus, quam arcem illius evertere, vitium radicitus extirpando; quod ſuadet Apoſtolus ad Epheſios dicens: *Nolite locum dare diabolo. P. Surin tom. 2. dialogorum.*

Nulla vel perſona, vel conditio, vel ſtatus vitæ eſt, qui ſuis tentationibus careat; nequicquam eas fugis, & quæris modum illas depellendi, locum, ſitum, & vitæ rationem mutando; permittit Deus, ut nos ubique inveniant. Cum enim utiles ſint, ac animarum ſanctificationi proſint, cum iiſdem bene utimur, ita Deus illas ex mera miſericordiæ ſuæ diſpoſitione permittit. *Auctor Anonymus.*

Fallax excuſatio infirmitatis.

Quid vulgatius eſt; quam noſtras prætexere infirmitates, eaſque in loca, & tempora, quibus vivimus, rejicere? Nobiſmet perſuademus, ſi nequam ſumus, non culpa noſtra tales eſſe, ſed temporum, aliarumque circumſtantiarum, in quibus ſumus. Haud equidem vanitatem diligo, aut cor meum ambitione tumet, dicet aliquis; ſed quomodonam ab illis abhorrere liceat ea, in qua ſum, civitate? Magnos ſumptus non amo; verum quomodo illos evitare poſſum inter tot urgentes eorumdem erogandorum occaſiones? Mihi vitio vertendum non eſt, ſi vita mea frugi non eſt; mundi commercium tanti mali cauſa eſt, & mala exempla, quæ jugiter mihi verſantur ob oculos. Sed cur voſmet ipſos fallitis? Malum haud extrinſecus quidem, ſed ex vobiſmet ipſis proficiſcitur. Mundus vos tentat; ſed voſmet ſinitis tentatione ſuperari, cum illi reſiſtere, eamque ſuperare poſſitis. *Auctor Anonymus.*

Tentatio a nobis roboratur, non impugnatur.

Liquet, quemadmodum bellum, quod nobis adverſus dæmones gerendum eſt, nullas habet inducias, & nunquam remittitur, ita nos jugiter intentos eſſe debere ad confirmandas in nobis virtutes illas, quæ noſtra ſunt arma, atque incomprehenſibilem inſaniam eſſe, in hoc certamen ingredi inermem, hoc eſt virtutibus vacuum. Attamen hominum plerique in hanc incidunt ſtultitiam; & quod magis adhuc miſerum eſt, eam terribili augent acceſſione, quia e contra in id unum incumbunt, ut dæmoni animæ portas aperiant, ei in cor ſuum aditum præbeant faciliorem, atque illius tentationes vividiores, & ardentiores efficiant. Hoc illi peragunt iis rebus vacantes, quibus ipſorum cupiditates irritantur; mentem ſuam vanitate replentes, ac deſerentes ea omnia præſidia, quæ dæmonis victoriam poſſent retardare. Quid ex hac agendi ratione ſperari poteſt, niſi lapſus infelix? Et ita vivere, nonne jam cecidiſſe eſt? *Specimina Ethica tom. 5.*

Tentationes metuendæ ſunt.

Si noſſes, anima chriſtiana, quo in periculo verſaris, quonam animi fervore diceres: Domine, ne nos inducas in tentationem? Tibi res eſt cum hoſte, qui longe fortior, vigilantior, bellicoſior te eſt, qui te inviſibilibus armis aggreditur, & qui ſæpe ſub amici imagine deliteſcit, ut fallat. Exteriores, interioreſque ſenſus, cupiditates, perverſa ſtudia, pravique habitus tui cum illo conſentiunt, & obſtupeſcis, S. Ambroſius inquit, ſi juſtus ipſe vix contra tot varias oppugnationes ſe ipſum tueatur, cum ipſe vix, ac ne vix quidem uni reſiſtere valeas? *P. Nouet tom. 5. meditationum.*

Hoc prælium contra mundum, ac dæmonem nequaquam ad certum uſque tempus perſeverat; perenne eſt. Nobis certamen eſt cum hoſtibus infatigabilibus, atque internecinis. Si hæc illis e ſententia non accidit tentatio, aliam uſurpant: ſi animam aliqua ex parte ſatis munitam inveniunt, illam adoriuntur ex altera: exteriores interioribus tentationibus addunt; ſi unum evitamus laqueum, longe plures objiciunt, & ſi ex una tentatione victoriam retulimus, nos perdere quærunt ea vanitate, quam propter hanc victoriam nobis inſpirant. *Specimen Ethicum tom. 5.*

Tentationes magis metuendæ ſunt in mundo.

O Deus! quam fortes! quam violentæ ſunt tentationes! Quomodo autem illis reſiſtere liceat, tunc præſertim cum in hujus mundi luce verſamur; vel ut æquius loquar, cum in perverſo, corruptoque

hoc vivimus mundo, ubi jugiter, uti dilectus inquit Diſcipulus, concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ agitamur? In mundo, ubi omnes obices, qui alibi in omnes hominum conditiones ſparſim diffuſi ſunt, majori vi colliguntur & congregantur? In mundo, ubi pompæ omnes magnifice nitent, ubi voluptates in ſuo veluti centro ſunt, omneſque dignitates effulgent? In mundo, ubi cupiditates omnes ſolutas, occaſiones præſentes, exempla pernicioſa eſſe dicere poſſumus? In mundo, ubi mors, uti S. Ambroſius ait, per ſenſus omnes ingreditur; ubi oculi aperiri nequeunt, quin recipiant imagines, quibus animus turbari poſſit, ubi aures nihil audire poſſunt, quod non ſit virus ſtatim ſeſe in cor ipſum infundens. Verbo, in mundo, qui nihil eſt niſi peccatum, & corruptio; ubi quilibet fortunæ, honoris, exiſtimationis gradus, quem ibi homo valeat adipiſci, novum ſuppeditat obicem ſaluti, novumque tentationis argumentum. *Sermo mſ.*

Dæmon nos per omnes creaturas tentat.

Dæmon non ſemper per ſeipſum nobis prælium intentat. Hoc multifariam exequitur, per eos, qui illi in mundo famulantur, & qui mundi ſpiritu aguntur; hoc exequitur optimatum minis, atque landitiis, hoc pravo hominum corruptorum exemplo quorum ſolus ſæpe adſpectus cor noſtrum inficit; hoc torrente conſuetudinis, quam pro lege in iis, quæ ad Deum pertinent, haberi vult; hoc amicorum & cognatorum conſiliis, qui ne opinantes quidem pernicioſiſſimi hoſtis rabiei velificantur. Hæc ſunt inviſibilia dæmonis prælia animas dumtaxat noſtras perdere cupientis. *Liber, cui titulus: Vita Prophetarum, in vita Ezechielis.*

SUPPLEMENTUM.

Homo inter tot tentationes, quibus petitur, adit periculum ſalutis ſuæ.

S. GRegorius egregie deſcribit mortales effectus ſtatus illius, in quo fidelis circumundique tentationibus laceſſitus nudus, inermis, pluribus confoſſus vulneribus, certam offert victoriam omnibus ſalutis ſuæ inimicis. Si illum ambitionis tentatio aggreditur, hac ſe trahi ſinit; ſi illum urget avaritia, flagrat ardenti libidine eidem ſatisfaciendi. Si eum tentat impudicitia, illegitima concipit deſideria. Si iraſcendi cauſam nanciſcitur, hic ignis accenditur, omnemque ejus lenitatem abſumit. Si pericula objecta illius excitant affectiones, eum agere intuemini, quaſi Religionis, & Fidei fuiſſet oblitus. Quid igitur erit, cum dæmones ſibi ad ferendam opem arceſſitis creaturis, irruent in illum erroribus, illecebris, mundi terroribus armati? Numquid fidei ſuæ luminibus vanas illuſiones filiorum hominum diſſipabit? Num eorum placita æque ſtulta, ac pernicioſa rejiciet? Heu! denſa nebularum caligo ejus intellectum obſcurat, quænam vero ſunt tenebræ, quas innumera peccatorum parit multitudo? *Sermo 2. Academiæ anni* 1701.

S. Paulus invictus ille vir, nec umquam hominum, dæmonumque conatibus fractus, timebat ne cadere, & hic timor effecit, ut nihil umquam contemneret ſive corpus ſuum mortificaturus, ſive ambitionis motum fracturus. Ter Dominum rogavit, ut liberaretur a violenta tentatione, qua verebatur, ſe iri ſuperatum. Sed timor ipſius ſalvum fecit illum, & ipſi hoc divinitus datum reſponſum promeruit: *Sufficit tibi gratia mea, virtus enim in infirmitate perficitur.* Nequaquam fretus viribus ſuis, gratiam preſcibus poſcit, & ad illum fulciendum ei gratia, quæ omnibus ſupplet, gratia ſufficiens promittitur. Fatetur imbecillitatem ſuam, & hinc fit fortis; virtus enim perficitur in imbecillitate, quam humiliter confitemur; & quidquid feceris. S. Auguſt. ait, Deus illos tantum roborat, atque confirmat, qui cum humilitate ſuam fatentur infirmitatem. Qui e contra præſumunt in viribus ſuis, vincuntur, antequam in certamen deſcendant. Humiles ergo dumtaxat timent ut cadant, de propriis viribus diffidunt, peccati occaſionem fugiunt, & ad preces confugiunt, quibus certo dicere poſſumus Deum fidelem futurum, neque permiſſurum, ut ſupra vires tententur, & fore ut non ſolum tentationes valeant ſuſtinere, verum etiam Deum iis gratiam largiatur inde cum fructu emergendi. *Tourneux in anno Chriſtiano Tomo* 9.

Tentatio laqueus eſt, quem dæmon nobis tendit.

Tentatio laqueus eſt, quem nobis diabolus tendit. Æque verſutus, & induſtrius ac nequam noſtrum quærit ingenium, naturam, & peculiarem illam propenſionem, qua illud fertur in malum, ac malum determinatum, videlicet cupiditatem in ſingulis prædominantem. Ex quo detexit ille partem arcis imbecilliorem, illic opera externa incipit demoliri, praxim pietatis, conſcientiæ religionem, accuratam vitæ ſanctimoniam, a quibuſdam objectis abſentiam, pias affectiones, verecundam modeſtiam, in minimis fidelitatem, levium noxarum metum, opera prominentia, munimenta quibus externa arcis propugnacula proteguntur. Ubi vero hæc opera corruerunt, non diu oppidum reſiſtit. Dæmon verſutus hoſtis tempori non deeſt; omnibuſque novit occaſionibus uti ad arcem capiendam. Semper in quadam bona voluntate confiditur, in antiquo gravium peccatorum horrore, & quilibet ſe ſtrenue pugnaturum pollicetur. Sed ubi debilitatum fuerit, quod valli inſtar torrenti adverſabatur, cum minutis criminibus initur familiaritas, & in majora irrumpitur ex improviſo. Diabolus eſt in inſidiis, ubi animam, ut ita dicam, inermem nanciſcitur. Expectat cujuſdam objecti præſentiam, cupiditatis impetum, cordis opportunum affectum. Tunc hoſtis in aciem deſcendit, nihil inauſum, atque intentatum relinquit, omnes exerit artes, & lethale vulnus infligit, antequam tibi caveas. O Deus, quot una die clades receptæ! quot perditi triumphi! Non deſunt quidem tumultuoſæ tentationes, & pernicioſæ; at hæ paucos fallunt. Sunt & mutæ non minus metuendæ. Sunt aliæ blandæ, & ut ita dicam, amicæ, & harum tela numquam in irritum abeunt. Vita hominum militia eſt ſuper terram; omnia plena ſunt laqueis, atque periculis. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitationibus.*

Ipſi ſæpe ſumus nobis tentatores.

Cupiditates noſtræ nobis ſunt pernicioſiſſimi, ac potentiſſimi tentatores. Oblectamur alentes in nobis feras, quibus dilaniamur. Quoties noſtræ tranquillitatis pertæſi, funeſtas quærimus noſtrarum ſollicitudinum cauſas, & dæmoni mox acceptos referimus lapſus, quorum ipſi ſoli fuimus auctores? Tentationem ipſam provocamus, & ultro ea laceſſimus periculorum invitamenta, quæ nobis poſita non erant. Sumptus erogantur, ut inveniantur pericula, a quibus per ætatem, & conditionem immunes eramus. Cum voluptate eos ſequimur cœtus, ubi tentationes omnes collectæ ſunt; ultro, ac volentes illa quærimus ſpectacula, ubi ſcimus, omnes nequiſſimi inimici fraudes, ac dolos inveniri. Illis interſumus converſationibus, ubi ſcimus venenum citra fucum, ac diſſimulationem epotari. Data opera ſemiſopitus ignis excitatur, & poſt incendium in dæmonem illius cauſam rejicimus. Quænam fatalis te urgebat neceſſitas, ut ad ſpectacula curreres, & biberes, ut ita dicam, & oculis, & auribus virus teterrimum? Ne diabolum inſimules, ſed potius crudelem incuriam tuam, & nimis temerariam ſecuritatem. *Idem.*

Mortalis numquam caret tentatione. Adam hominum parens tentatus fuit; Abraham pater fidelium tentatus fuit; JESUS CHRISTUS pater prædeſtinatorum tentatus fuit, & mundus, qui per Serpentis tentationem incæpit, per Anti-Chriſti tentationem deſinet. Tentatus fuit Adam, ut inde trepidarent electi. Tentatus eſt Abraham, ut fieret obedientiæ illorum exemplar. Tentatus eſt JESUS CHRISTUS, ut eſſet victoriæ eorum principium; & fideles uſque in ſæculorum finem tentabuntur, ut coronam ſuam promereantur. Illud vero nos conſolari debet, quod numquam permittit Deus, ut ſupra vires noſtras tentemur. Job tentatus fuit moleſtiſſimis calamitatibus; ſed ſcriptura teſte, illi benedixerat Deus, præ omnibus, qui Orientales terrarum plagas incolebant. Deſtinavit Deus Moyſem ad ferendum totius Iſrael onus, ſed dederat illi mentem, quæ plurimorum ſimul ingenia ſuperabat: tantam ille gerit curam gratias ſuas viribus noſtris aptandi. *Abbas Boileau in delectis ſententiis.*

Cur permittat Deus nos tentari.

Cur permittit Deus, ut Sathanas inſurgat in vos, juge bellum vobis inferat, vobis quidem, & omnibus, qui, ut Apoſtolus inquit, pie vivere volunt in Chriſto Jeſu? Ut probet cor veſtrum, ut amoris veſtri ſinceritatem cognoſcat, & periculum faciat, utrum fideliter, atque conſtanter ſitis eidem adhæſuri. Donec omnia vobis fluunt e ſententia, & omnia vos alliciunt, Deo dicitis, illum a vobis amari, eique intemeratam, æternamque fidem juratis; ſed quodnam illi vadimonium præſtare poteſtis, ut ille poſſit hujuſmodi promiſſionibus veſtris habere fidem? Num ſpondere vobis licet de earum ſinceritate, quandoquidem paullo poſt palinodiam canere videmini eum deferentes? Leviſſima animi ægritudo, leviſſimum tædium, minimum neſcio quid repente vos in alios homines mutat. Videtur nequaquam diſplicuiſſe Deo, Sancti viri Job virtutem nullo in pretio haberi a dæmone, ſi huic illum permiſit tentare. Ne gloriemini ergo vos invictos eſſe, antequam inimicum videritis. Hominis vita juge debet eſſe bellum adverſus ſalutis inimicos: *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Job 5.

Job 5. Voſmet ergo felices exiſtimate, cum Dominus vobis ſuggerit occaſionem vincendi, ſibique teſtatum faciendi amorem veſtrum. Ita Sancti omnes probati ſunt, vitamque ſuam tranſegerunt in pertinaci bello contra infernas poteſtates, & hoc pretio dumtaxat immortalitatis coronam obtinuerunt. *P. Segneri in Meditat.*

Varii modi, quibus dæmon homines tentat.

Cum vita Chriſtiani ſit jugis exercitatio tentationis, hæc ſemper illi reformidanda eſt, quoniam ab illa ubique, quocumque tempore, vi, & dolo laceſſitur. Totum terrarum orbem conſidera, nihil occurret tibi, quod non ſit tentationis materia, & neminem invenies, qui tentationem effugiat. Tentator callidus eſt, verſutuſque inimicus, qui varias prædiandi rationes immutat pro ingeniorum, ſexuum, ætatum, conditionum varietate. Alios quidem impetu facto adoritur, alios per cuniculos. Hos evertit, illos concutit. Modo per animi ægritudinem, modo per gaudium obrepit. Adoleſcentiam voluptate, virilem ætatem ambitione, ſenium avaritia, & præteritarum voluptatum allicit recordatione. Arma illius ſunt mendacia, milites cupiditates, ſubditi vero mortales omnes. Nihil non ſervit illi; honor, contemptus, proſpera, & ſecunda fortuna, paupertas, opes, voluptates, dolores, doctrina, ignorantia, ſpes, deſperatio. Tentat oculos curioſitate, aures obſcænitate, linguam calumnia, detractione, contumelia; manus injuſtitia, cor amore ſimul, & odio. Denique omnia illi proſunt, omnia finibus ejus deſerviunt, omnia in æternum exitium noſtrum cedunt *Boileau in delectis ſententiis.*

Angeli Sathanæ, qui ſuggeſtionibus ſuis nos perſequuntur, regnum ſuum conſtituunt in tenebris. Quorſum autem? quia nequaquam tales ſe oſtendunt, quales ſunt. Lumen illos perſtringit, & illis affulgeat ſatis eſt, ut fugam capeſſant. Lumen autem, quod ſeductores iſti Spiritus tantopere reformidant, eſt ſapientis Directoris conſilium, cui fideliter cor tuum committis ſine ulla exceptione; ſola tentationum tuarum confeſſio ad deſperationem adigit tentatorem. Hæc fuit plurimorum Sanctorum in dubitationibus ſuis praxis; licet ſumma præſtarent rerum aſceticarum peritia. Et vir Dei, qui dedit conſilium, ipſe quidem illud ab altero viciſſim petere debet. Primum enim omnes obnoxii ſumus illuſioni in iis, quæ ad nos proprie pertinent. Secundo Salvator in iis, quæ ad nos pertinent, illuminat eos, quos in locum ſuum præficit conſcientiæ noſtræ regimini. Tertio benedicit illis, qui de propria virtute diffidunt, quod quidem faciunt ſuas infirmitates aliis aperiendo. Quarto imitamur Dei Filium, qui non dedignatus eſt aperire diſcipulis ſuis licet ignaris, ac rudibus, internas animi, quibus premebatur, anguſtias. Denique dæmon numquam nos periculoſius tentat, quam cum ſuadet, ut celemus vel per verecundiam, vel per negligentiam, vel per confidentiam in propriis luminibus, ſuggeſtiones ſuas; poſtmodum enim unus tantum ſupereſt gradus ad lapſus noſtros diſſimulandos. *P. Segneri in Meditat.*

Cur nos tentari patiatur Deus.

Niſi Deus coercet tentationes, quibus urgemini, id agit multiplices ob cauſas, quæ ſunt vobis perutiles. Primum enim vult, te experientia doctum fateri te factum fuiſſe fortiorem, & potentiorem inimico tuo; vult etiam hoc temperamento te tamquam in æquilibrio contineri, & mala tibi impendentia prohibere, ne propter gratiarum, quibus a Deo cumulatus es, magnitudinem intumeſcas. Permittit etiam te tentari, ut dæmon, qui dubitat adhuc, utrum ſincere abrenuntiaveris Deo, per patientiam tuam certus ſit abrenuntiationem ſuam fuiſſe veram; at hæc Dei mens eſt, per tentationem roborari animam tuam, ac ferri inſtar rigeſcere. Denique ſinit Deus te ab hoſte oppugnari, ut inde intelligas, quantus, & quam pretioſus ſit ille theſaurus, quem credidit tibi. Quippe dæmon nequaquam te tanta vi adoriretur, niſi te ſublatum ad glorioſiorem ſtatum, quam antea, videret. Hoc illum olim irritavit contra Adam, ubi eum tanta in gloria niteſcere perſpexit, & hoc ipſum illum irritat contra Job, audientem tot laudibus illum a Domino celebrari. *D. Chryſoſt. in Comment. in Matth.*

Qui ſe temere objicit tentationi, facile ſuperatur.

Samſon de hoſtibus ſuis in maximis etiam periculis victoriam reportavit, quoniam Dei juſſu illis occurrebat; ſed cupiditas, & amor inordinatus illum in eadem pericula dedit præcipitem. Samſon non eſt amplius idem, qui prius; miſer eſt, ignavus, opprobrium populi ſui, & inimicorum ludibrium. Unde nam factum eſt, quod magnis in tentationibus fortis, in levioribus nonnumquam ceſſiſti? Nonne quod priores illæ ab imperio Dei, poſteriores autem a tua cupiditate proficiſcebantur? quod illas quidem permiſerat Providentia, in hos autem te tua temeritas impulerat. *P. Nepveu in Chriſtianis Conſiderationibus.*

Mirum eſt, quod de ſemet narrat in Epiſtola quadam S. Hieronymus, pallidus, & jejuniis ad maciem redactus, humi cubans, non ceſſans tundere corpus ſuum, cujus oſſa vix ſibi invicem hærebant, in antro ſuo turbabatur imaginibus voluptatis, & cogebatur confugere ad gemitus, lacrymas, & clamores, ne blandis earum impreſſionibus vinceretur. Quid autem inde infert? hoc nempe. *Si autem hoc ſuſtinent, qui exeſo corpore ſolis cogitationibus oppugnantur, quid patitur puella, quæ deliciis fruitur!* *P. la Peſſe Serm. de voluptatibus.*

Probitas noſtra magis, magiſque de ſe diffidere debet, contra illam irritatur Sathanas, & majores exerit conatus. Pietas ſublimis, vita frugi, anima ſincera ſunt indignationis & furoris ejuſdem objecta. Cum aliquem e vulgo in ſuos laqueos trahit, hanc victoriam nullo habet in pretio, & pauci hoc exemplo ſe corrumpi ſinunt; at ſi ille præſtanti virtute virum deceperit, cujus merita omnes habent explorata, & comperta, tunc ille nequam gloriatur non ſolum, quod fortem profligaverit inimicum, ſed quia hæc victoria plurimos illi parit triumphos. *D. Chryſoſtomus in Homil. prima ad populum antiochenum.*

In tentationibus fide utendum ut inde vis acquiratur.

In tentationibus, quomodonam contra tot inimicorum conatus reſiſtere poterimus, contra tot, inquam, inimicorum conatus, adverſus quos nobis erit pugnandum, niſi fides nobis tulerit ſuppetias? Ad id nobis plura ſuggerit adminicula S. Paulus; illud vero, quod etiam atque etiam nobis commendat, inter cetera eſt, ut noſmet armis induamus *in omnibus ſumentes ſcutum fidei*: Ephſ. 6. Et profecto quantum fortis eſt, qui fidei auxilio ſtipatus eſt? Numquid ſenſuum voluptas nos ſollicitat? Quod frænum acerrimæ huic cupiditati cogitatio, voluptatem hanc brevi momento duraturam, numquam ceſſaturo ſupplicio punitum iri? Numquid nobis dominatur avaritia? Heu quantum cupiditas noſtra infirmaretur, ſi cogitaremus Spiritum ſanctum fere numquam verba facere de divitiis, niſi ut nobis earum horrorem immittat, illas theſauros iniquitatis appellans, ac aſſerens Dominum væ ſuum in divites protuliſſe. Nunquid nos agit ambitio, immoderatum creſcendi, ac dominandi deſiderium? Conſulamus iſtic fidem noſtram, & hæc docebit, humilitatem, & exinanitionem eſſe fundamentum dignitatis filiorum Dei. Numquid calumnia nos ad ultionem impellit? Hæc periculoſa quidem eſt tentatio; nullum enim altius, ac acerbius eſt vulnus, quam quod calumniator infligit; ſed quæ conſolatio, quod fortitudinis incrementum cogitantibus venturam diem, qua velum, quo tegitur veritas, ſcindetur, confundetur calumniator, & innocentia patebit? Numquid languoris morbus patientiam noſtram fatigat? legamus ſacras litteras, & diſcemus tribulationes non eſſe minus Dei donum, quam ad Chriſtianam Religionem vocatio; quæ conſolatio! Numquid mors nos perturbat? Morti nihil terribile ineſt intuenti illam tamquam tranſitum ad vitam meliorem; & fides poteſt efficere, ut illam ſub tali adſpectu intueamur. Econtra homo, qui fidem non habet, vel fide ignorat uti, ſemper infirmus eſt, & ignavus excipit omnia lethalia vulnera, quæ a ſalutis ſuæ inimicis ſibi infliguntur; adeo verum eſt in tentationibus utendum eſſe fide, ut inde fortiores evadamus. *Sermo manuſcriptus.*

Deus ideo permiſit Dæmoni tentare nos, ut nobis merendi occaſionem præberet, & dolos ejus irritos faceret. Jure de Deo conqueri poſſemus, ſi in noſtra poteſtate non eſſet reſiſtere tentationibus, & tentatoris propulſare nequitiam; verum ſi cecidimus, ſi victas manus ſine prælio damus, noſtrum ſcelus eſt; num ideo privandi ſunt honore victoriæ, qui eidem reſiſtunt, atque triumphant? hæc non eſt legitima cauſa auferendi Sathanæ poteſtatem, quam illi permittit Deus tentandi homines, quia plurimi verſutiis ejuſdem falluntur, cum multi etiam illis reſiſtant, quibus tentationes ipſæ ſunt materia triumphi. Sed æquum eſt in illos animadvertere, qui per meram ignaviam ſeſe dedunt, & præmiis afficere eos, qui ſtrenue præliantur. *S. Chryſoſt. in Opuſculis.*

Tentatio eſt occaſio merendi.

Tentationes animum noſtrum, noſtramque in Deo confidentiam confirmant; nam ubi noſmet vexatos conſpicimus ab hoſte, a quo nobis periculum imminet,

feſtinamus confugere ſub illius præſidium, qui nos poteſt ab aggreſſoris tyrannide liberare. Cum pueri vident aliquid, quo perterreſiunt: inter ulnas parentum ſuarum ſe ſe projiciunt: & ipſi quoque puerorum exempla ſequimur; cum ſpiritus nequam nos ſollicitat, ac terret, meliores evadimus noſmet colligimus, multo cum fervore Dei opem imploramus. At ſi non permiſiſſet dæmoni Deus, ut homines tentaret, hi hujuſmodi merendi occaſionibus caruiſſent. *Idem.*

Si videre poſſemus prælia, & oppugnationes Dæmonum, non ægre fateremur, eos nos adducere in ſtatum calamitoſiorem illo, in quem teterrimum bellum corpora adducit; & ſi ad examen vocaremus methodum, quam hi maligni ſpiritus ſequuntur, ut nos ſeducant, fateremur, eam omnibus militaribus inſidiis verſutiorem eſſe, & periculoſiorem. Nemo adeo ſcitus, & callidus eſt, quam Dæmon in arte fallendi, ac dolos nectendi; internecino nos perſequitur odio, & jugiter ſine relaxatione inſectatur. Sæviſſimorum hominum crudelitas ab illius crudelitate quam longiſſime diſtat. Prælia, quibus ſe ſe mutuo laceſſunt mortales, brevia ſunt; donec prælium ſævit, aliquot momenta ſpiritum licet capere; nox, requies, reficiendorum corporum intervalla aliquam permittunt laborum remiſſionem. Sed Sathanas nullas præbet inducias; ſi vulnerari non vis, tibimet caveas indeſinenter oportet; alterutrum eligendum eſt, vel perire, vel ſemper armatum incedere, quoniam inceſſanter nos urget; omnia momenta vigilat, ut nos fallat; ardentius nos perdere cupit, quam ipſi ſaluti noſtræ proſpicere adnitamur. Denique hoſtis eſt inviſibilis; nos adoritur, quin ſpatium det ad arma concurrendi; qui ſibi non cavent, laqueos illius nequeunt evitare. *Idem.*

Peccator injuria ſcelera ſua fato cuipiam tribuit, quorū cauſa eſt ejuſdem ignavia.

Poſtquam alicui ceſſimus tentationi, fere hanc præteximus cauſam: non potui me tueri; mihi illecebris cedendum fuit. Sed quis dixit, non eſſe vobis reſiſtendi facultatem? Numquid experti eſtis, ut vim propulſaretis? Numquid ea in occaſione Deo cauſam veſtram commendaſtis? Opem illius imploraſtis? An ne meminiſtis quidem particulam illam Dominicæ Orationis: *Et ne nos inducas in tentationem*? Id ne cogitaſtis quidem; contra vos veſtram teſtor conſcientiam. Palam ergo falſum eſt, vos tunc pro viribus adniſos fuiſſe, quod facere poteratis ad tentationem hanc ope gratiæ ſuperandam. Nam licet non ſimus impeccabiles, immo etiam peccatis obnoxii, tamen ope gratiæ poſſumus non peccare, ſaltem mortaliter. Si vel modice Deum diligeretis, nonne ubi primum ad eum lædendum ſollicitaremini, haud hæſitanter diceretis: nolo Deum meum lædere. Sed ſi magnus eſſet veſter amor, per hujus ardorem vobis etiam videremini impares eidem lædendo; eoque in ſtatu verſaremini, in quo Joſeph pudicus, dicendi, ut ille impudicæ dominæ, ita & vos tentatori; nequaquam: Deum dominum meum offendere non valeo. Caſtiſſimo adoleſcenti ſatis non fuit dicere: nolo, non debeo facere, quod a me petis; ſed quomodo hoc facere poſſum? Hinc diſcamus, multitudinem, & magnitudinem beneficiorum, quibus a Deo cumulemur, debere non voluntatem ſolum, verum facultatem etiam adimere lædendi Deum optimum & beneficentiſſimum. *P. Antonius de Sancto Martino a Porta, in libro cui titulus*: Les conduites de la Grace.

Nonne poteſt nobis Deus id exprobrare, quod olim dilectæ nationi Iſrael? *Adverſatrix Iſrael, feciſti malum, & potuiſti.* Jerem. 3. Iſrael perfide! poſt tantum amorem, quo te proſecutus ſum, & cujus tot documenta recepiſti, potuiſti datam mihi fidem non præſtare? potuiſti per ſummam indignitatem me deſpicere? Idolis thus adolere potuiſti, & me tanta afficere contumelia? Adeo verum eſt, quod ingratus ille populus impotentiam invenire debebat Deum ſuum offendendi. Simili ratione cum Dæmon, caro, mundus nos ſollicitant, ut aliquid contra illius voluntatem faciamus, nos, qui gratias longe plures, majoreſque accepimus quam Iſraelitæ, omnes illorum conatus propulſare debemus, & dicere: quomodo fieri poteſt, ut laceſſam Deum, a quo tot beneficiis cumulatus ſum? Hoc facere nequeo; neque id umquam faciam. Deum meum ita diligo non ſolum, ſed amo, ut illi diſplicere non poſſim; ut illi valeam injuriam inferre, eumque tanta proſcindere contumelia, quanta eſt lethale peccatum. Conſulamus cor noſtrum: hæccine illius lingua eſt; hiccine ſenſus, & ſermo? Si ita eſt, certi eſſe poſſumus nos in dies recentibus beneficiis refectum iri, noſque ab illo iri habitum tamquam delecti gregis ſui partem optimam, ac dilectiſſimam. *Idem.*

In tentationibus nobis confugiendū eſt ad Deum tamquā filiis ad patrem.

Caro domeſticus eſt inimicus, qui nos perdere quærit modo eo periculoſiori, quo voluptates ad id adhibitæ, nocentiores ſunt, & falaciores. Mundus adeo potens eſt inimicus, ut vinci nequeat, niſi prius omnes divitiarum, & honorum illecebræ ſuperentur. Dæmon inimicus eſt crudelis, & implacabilis, qui non aliud ſpirat, niſi noſtrum excidium; inimicus tantarum virium, vigilantiæ, experientiæ, calliditatis, nequitiæ, & qui eo magis nobis metuendus eſt, quo major eſt numerus animarum, quas perdit. Cum pueri: qui adhuc imbecilles ſunt, ſe ab illis oppugnari vident, quibus reſiſtere nequeunt, patris ſubſidium implorant, cum aliter emergere nequeant ex periculo, in quo reperiuntur. Illos in hoc imitari debemus, & indeſinenter clamare ad Deum: Pater ſanctiſſime, ne ſinas nos adeo potentium hoſtium viribus vinci. Tu qui nos ex nihilo eduxiſti, educ nos e periculo, in quo ſumus, & ne ſinas nos adeo frequentibus, vehementibuſque tentationibus ſuperari. *Modus recitandi Orationem Dominicam.*

Quantum nobis trepidandum eſt propter peccata a nobis olim commiſſa, tantum nobis metuendæ ſunt tentationes, quæ in poſterum efficere poſſunt, ut in recentia ſcelera incidamus. Propter hæc adeo frequentia pericula, in quibus verſamur, enixe, fidenterque Deum orare debemus, ut noſtras quidem vires augeat, inimicorum autem imminuat. Fides jubet nos credere. Deum non permiſſurum, ut ſupra vires tentemur. *Non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis.* Ad Cor. 2. Nonniſi per gratiam reſiſtere poſſumus, verum eſt; ſed hæc ſaltem ex parte Dei numquam nobis eſt defutura. Hæc nobis abunde concedetur; ſatis valida erit ad tentationem vincendam, & cum fructu vincendam, & ad inſignem inde, ſi voluerimus, quæſtum faciendum. *Faciet cum tentatione proventum.* Strenue igitur, & ſine relaxatione ſalutis noſtræ inimicis repugnemus, fortiterque illorum oppugnationibus reſiſtamus, ſcientes, ſi bene divinæ bonitatis ſubſidio uſi fuerimus, Deum nobis ſemper recentes gratias collaturum, quarum ope non ſolum animarum noſtrarum inimicos propulſabimus, ſed inſignem etiam ex illis victoriam referemus. *Ibidem.*

Confidentiæ argumenta in peccatore ſæviſſimis tentationibus laceſſito.

Proba me, Domine, per morbos, atque dolores; ad examen revoca omnes cordis mei motus verum ne ſinas me ſuperari ab hoſte meo, qui tuus quoque eſt; neque permittas, ut umquam tentationibus ejus vincar. Nihil timere poſſum ab ejuſdem violentia, quippe audeo ſperare univerſa a miſericordia tua, quæ jugiter ob oculos meos obverſatur. In ipſo mortis ſinu non timebo, quoniam tu mecum es. Videbo quidem omnes meæ ſalutis inimicos adverſum me, ſed non contremiſcam omnis quippe confidentia mea eſt in miſericordia tua; & licet me undique premant, ego tamen in umbra protectionis tuæ de illis victoriam me relaturum ſperabo. Cum Dominus mihi Salvatorem conſtituerit Unigenitum ſuum, deduxit me in arcem nullis inimicorum ictibus labefactandam, & me ſemper victorem efficiet. Sæviant ergo licet in me omnes inferorum tentationes, ſpero fore ut Dominus mihi guſtanda præbeat, & poſſidenda bona terræ viventium. Fruſtra ſperant inimici interitum meum; ſpero pro Salvatoris gloria, me in æternum in beata æternitate miſericordiæ ipſius miracula prædicaturum. *Idem.*

Non petimus tantum abs te, Domine, ut peccatorum noſtrorum remiſſionem nobis concedas; indigemus etiam gratia fortitudinis in tempus futurum, contra tentationes inimicorum ſalutis. Non petimus, ut omnino ab omni tentationis genere ſimus immunes; quidam enim ex fidelibus famulis tuis nos docet, quod *melius eſt tentari, & probari, quam non tentari*. Sed vides, Domine, magnam & imbecillitatem noſtram, & vim inimicorum noſtrorum. In hoc diſcrimine ad te confugimus; hac mente offerimus tibi adorabilem hanc victimam in ſancto Sacrificio, quæ ſe ipſam olim obtulit in Calvario. Adjuva nos Domine in adeo urgenti neceſſitate; da nobis robur, quo reſiſtere valeamus inimicis noſtris, & ne ſinas nos aliqua ipſorum tentatione ſuperari. Si providentiæ intereſt tuæ, ut inter prælia verſemur, fiat voluntas tua; verum ne permittas, ut hæc adeo terribilis inimicorum noſtrorum potentia referat de naturæ noſtræ imbecillitate triumphum, ne de nobis tandem victoriam reportent. *Idem.*

S. Aug. in Pſ. 148.

Nosmet ſan-

Aſceticæ vitæ magiſtri egregium nobis præbent conſi-

Ais e plere debemus cogitationibus omnem dæmoni acceſſũ ablaturi.

conſilium, ne dæmoni tentandi locum præbeamus; eſt autem mentem noſtram ſanctis cogitationibus replere. Verum eſt poſſe tentatorem in nos per ſenſus viam ſibi aperire; verum ſi anima invenit caute cuſtoditam, recedere tenetur, quin noceat. Ita ſtatim ubi primas periculoſi objecti impreſſiones ſentimus, mentem noſtram ad æternas veritates convertamus, quæ nos præ cæteris maxime permovere conſueverunt. Cogitemus nos quamprimum in tumulum eſſe inferendos; nobis quamprimum prodeundum eſſe ad terribile divinæ juſtitiæ tribunal. Cogitemus promiſſam juſtis mercedem, ſupplicia peccatoribus intentata. Cogitemus potiſſimum JESUM CHRISTUM pro nobis effudiſſe ſanguinem in Cruce, & dicamus illi: *Fiat, Domine, cor meum immaculatum in juſtificationibus tuis, ut non confundar*, Pſal. 118. Ita omnia inimici tela evitabimus; ita immundo ſpiritui omnes aditus in cor noſtrum obſtruemus: *Non adjiciet ultra, ut pertranſeat per te immundus*. Iſai. 52. At enim difficile eſt, dicitis, hoc in praxim redigere. Sed hoc neceſſarium eſt ad ſalutem vel arcere dæmonem a corde veſtro, vel illi reſiſtere, ubi eum aditus occupare permiſeritis. Utrum vobis difficilius videtur? Hinc tentatio in ortu ipſo infirmior eſt, vos autem fortiores; inde vero tentatio temporis progreſſu fortior evadit; vos autem infirmiores. Num deliberandum eſt vobis? Non vultis aliquam vobis inferre vim, ut omnem tentationi aditum auferatis; poſt hæc autem oportet, ut extremam vobiſmet vim faciatis. Quænam hæc eſt cæcitas veſtra? Sequimini ergo conſilium Apoſtoli, & nolite locum dare diabolo. Hic proditor eſt, qui me conatur decipere; verbis illius aures obſtruam. Ubi longius illum perſpexero, fugiam; vel ſi oportuerit, occurram illi prohibiturus, ne ullum occupet aditum in cor meum. Verbo, non ſinam, ut progrediatur. Scio equidem, me ita omnia ſenſuum meorum oſtia tueri non poſſe, ut ſæpius in cor uſque non penetret; ſed ille cor iſtud inveniet ſanctarum cogitationum manu ita ſtipatum, ut ſatis tutum ſit contra tela ipſius. *Recens auctor.*

Nihil eſt tam difficile, quam reſiſtere dæmonibus, & ſe ſe communire contra tentationes, quibus nos laceſſunt. Nulla eſt poteſtas, quæ vi, aut æſtu poſſit cum illis comparari. *Non eſt poteſtas quæ comparetur ei*. Job 41. Terribiles ſunt inimici, tempore non infirmantur, ſunt immortales. Non cedunt propter imbecillitatem, vel ignorantiam. Sunt Spiritus perſpicaces, & acutiſſimi. Numquam placantur, & irreconciliabiles ſunt inimici, æterno nos odio perſequuntur, cumque pertinaciter adhæreant peccato, fieri non poteſt, ut ſententiam, vel ingenium mutent. Terribilia ſunt prælia, quæ nobis inferunt. Agitant humores noſtros; inflammant cupiditates, quibus ſuggerunt objecta placentia. Quod vi facta nequeunt obtinere, id per calliditatem aſſequuntur. Si numquam in cor aliquod ingreſſi non ſunt, nullum non lapidem movent, ut ingrediantur. Si jam ingreſſi fuerunt, audaciſſime dicunt, quod aliquando unus ex eorum numero Filio Dei, *revertar in domum*, unde ejectus fui; & ſi non adeo viribus pollet, *aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe*. Matth. 12. *Specimen Orationum Panegyricarum*.

Cura evitãdi periculoſas occaſiones eſt neceſſaria, ne tentationibus ſuperemur.

Beatus vir, qui ſuffert tentationem, inquit Scriptura, ſed non beatus ille, qui ſe ſe objicit tentationi. Mirum! Omnes ſentiunt, & fatentur, in mundo omnia laqueis plena eſſe; in ſingulos paſſus non deeſſe pericula; ſalutis noſtræ inimicum inceſſanter circuire arcem, ut omnes occaſiones in eam pervadendi arripiat. Liquet non deeſſe clandeſtina commercia, vireſque noſtras non ſatis validas eſſe. Noſtrum quilibet ait nos iter facere mari naufragiis infami; tamen quaſi nulla eſſent pericula, nullique inimici, quaſi peccandi occaſiones eſſent nullæ, quaſi infrequentes eſſent tentationes, ultro noſmet majoribus periculis objicimus. Mundani cætus, converſationes delicatæ, profana ſpectacula, in quibus ars omnes illecebras cogit, omnia uſurpantur, ut homines ſibi virus propinent. Feſtinanter omnes ad illa feruntur, & ægre inde reverterentur, niſi ad tot fallentium objectorum adſpectum omni ſenſu carerent. *P. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

Qui Dei ſervitutem amplectitur, debet ſe præparare tentationi.

Animæ, quæ magis in via ſalutis proceſſerunt, tentationibus immunes non ſunt; permittit JESUS CHRISTUS illas tentari, ut intelligamus, nemini ſperandum eſſe, te his probatum non iri. Tamen Eccleſiaſtici monitum potiſſimum iſtic ad illum dirigitur, qui recens ad Dei ſervitutem accedit: *Accedens ad ſervitutem Dei*. Eccl. 2. Dæmon enim irritatus, eo quod anima ſeſe illius imperio ſubtraxit, facere nequit, quominus graviora, & frequentiora in illam tela contorqueat: *Nuntiatum eſt Regi Ægyptiorum quod fugiſſet populus ... Junxit ergo currum, & omnem populum ſuum aſſumpſit ſecum, tulitque ſexcentos currus electos, & quidquid in Ægypto curruum fuit ... & perſecutus eſt filios Iſrael*, Exod. 14. Cæterum loquitur Eccleſiaſticus de præparatione ad tentationem, quod multo magis convenit incipientibus, cum aliorum progreſſus, & uſus, quem adepti ſunt diuturnis tentationibus, ſatis oſtendat, illos jam ſatis eſſe eruditos, & ad certamen ineundum paratos. Denique addit Eccleſiaſticus: *Sta in juſtitia, & timore*; in juſtitia quidem: quia incipientes nondum ſatis conſtantes, firmique ſunt, in timore autem, quia experientiæ defectus illos gravioribus periculis objicit. *P. Segneri in meditationibus.*

Verba hæc; *Præpara animam tuam ad tentationem*: intelligenda ſunt de omnibus tentationum generibus. Credendum ne eſt, Dæmonem nullum non moturum lapidem, ut in ſua vincula retrahat eum, qui illa confregit, ut ſeſe Domino devoveret? Igitur ſi paulo ante hoc præſtitiſtis, vobis dicta putate Eccleſiaſtici verba: hæc ad vos præ cæteris pertinent. Cur, domine, infirma virtus mea tot præliis patet? Non tamen, o Deus, queror de neceſſitate, in quam me adducis præliandi, quoniam doces me dimicare, & ſi documenta hæc tua ſecutus fuero, certus ſum, me victoriam relaturum. Sed tanta eſt bonitas tua, ut mihi præliandi ſcientiam traditurus, tu ipſe præliari dignatus es, ac te eouſque dimittere, ut in ſingulare certamen deſcenderes cum Dæmone. Heu! ne irritam faciam inſignem hanc bonitatem tuam; & ex pretioſis hiſce præceptionibus tuis uberem fructum capiam! Nullum Sathanas in me tenet imperium, niſi quatenus illum audire volo; verum quomodonam illum audire velim! Ille nil aliud ſua intereſſe putat, quam me in errorem inducere; oſtentabit mihi mundi gaudia, & auſteritatem pœnitentiæ; ego vero illum recedere jubebo, ac gloriabor non deeſſe mihi ducem ipſo fideliorem, ac magis perſpicacem. *P. Segneri in Meditat.*

Alia tentatoris verſutia eſt noſtram nobis ob oculos ſtatuere imbecillitatem, ut a virtutis praxi deterreat.

Hoc pacto agere conſuevit Tentator adverſus eos, qui domino deſervire incipiunt in ſolitudine. Primum quidem illis ob oculos ſtatuit & naturæ eorum imbecillitatem, & ſtatus auſteritatem, in quo citra miraculum diu perſeverare non poſſunt, tamquam amicus, qui illorum vicem miſeratus ſuadeat aliquid de nimis ſevera virtute remittendum eſſe; quæ puſilli animi tentatio eſt. Si intellexerit dæmon, nos præ magno ſpiritus fervore pro nihilo habere omnes carnis cruciatus, tunc ſe in Angelum lucis immutat; ac abutens eodem fervore noſtro, ut perſuadeat, nos Deo juvante, quibuſcumque auſteritatibus futuros pares, ſuadet, immodicis noſmet torqueamus jejuniis, & mortificationibus vires noſtras ſuperantibus, omnibuſque pœnis, quas inordinatus fervor excogitare poteſt, ut ſuperemur pondere, quod nobiſcum partiri Deus non tenetur; eaque eſt præſumptionis tentatio. Denique ubi videt Sathanas primos conatus ſuos in irritum cedere, furere incipit, nec ultra delitеſcit. Objicit oculis noſtris univerſam Mundanorum felicitatem, voluptatem non alteri legi, quam licentiæ ſuæ obſequendi, illecebram gloriæ, qua perfruuntur, ſuavitatem vitæ ridentis, ac deliciarum plenæ, & quæ meretur, ut illam vitæ duræ, triſti, abjectæque, quam nobis elegimus, præferamus, & hæc eſt defectionis rebellio, qua impellimur, ut Domini ſervitutem deſeramus. *P. Segneri in Meditat.*

Nobis vero quid faciendum eſt, ut cognoſcamus contra quos ictus noſmet præparare debeamus? Nobis perſuaſum eſſe debet, Dæmonis ſcopum eſſe nos dare præcipites in nequiſſima ſcelera; & hanc illius eſſe methodum ſenſim, ac ſine ſenſu in eadem impellere. Primæ illius ſuggeſtiones imitantur imperatoris artes, qui arcis præfectum ad deditionem faciendam ſtudet illicere. Poſtremæ autem ſimiles ſunt clamoribus exercitus univerſi, qui diſtrictis enſibus ad oppidi ruit oppugnationem. Eminus noſmet præparemus ad prælium, & diligenter ſcrutemur, quonam ordine, & progreſſu eſt inferendum. *Idem.*

Animadvertendum nobis eſt, tentatorem, ut nos a Dei ſervitute divellat, bona quidem, non autem ſæculi mala nobis oſtendere; voluptates, non amaritudines; honores, non dedecora, roſas, non ſpinas. Ita ille jactat quidquid nos allicere poteſt, oculis vero, quidquid poteſt nos deterrere. Oſtendit Sathanas Jeſu Chriſto omnia mundi regna, omnemque illius gloriam, non autem ærumnas, atque miſerias. Multa promittit Sathanas, ſed deeſt illi arbitrium eorum

bonorum, quorum ſpem facit; ejuſque promiſſionis totidem ſunt mendacia, ipſo digniſſima. Non ergo aliud meretur reſponſum, quam hoc: *Vade retro Sathana, Idem.*

Modus, quo dæmon tentavit Dominum, oſtẽdit dolos quibus utitur nos tentaturus.

Prima præparatio, qua tyrones uti debent in ſpiritualibus præliis, eſt edoceri vias, quas tentator ingreditur illos in peculiari ipſorum ſtatu oppugnaturos. Verum quæ ſchola melius hac de re nos erudire poteſt, quam illa deſerti, quam elegit Jeſus Chriſtus, ut ibi in aciem deſcenderet, ſi hoc ut verbo licet? Illic Dæmon tentare auſus eſt Salvatorem, ſciens hunc recentem eſſe Athletam, qui nuperrime fuerat ſecus Jordanis oram baptizatus, & quem primi pœnitentiæ fervores adduxerant in ſolitudinem. Spiritus ergo nequam erga hunc ſe geſſit eo pacto, quo contra tyrones omnes ſe gerit: videlicet illi re adhuc integra leve tantum propoſuit malum, mox gravius, deinde vero omnium peccatorum graviſſimum. Vidit Jeſum Chriſtum diuturno jejunio collecta fame laborantem, inde occaſionem arripuit hortandi, ut ſibi panem compararet, quæ levis noxa videtur: *Si Filius Dei es, dic, ut lapides iſti panes fiant*. Matth. 4. Victus, ſuperatuſque dæmon hoc primo congreſſu, quo ſenſus tantummodo oppugnarat, Jeſum Chriſtum ad præſumptionis crimen conatur inducere, ſuadens ut de templis vertice ſe ipſum demittat in præceps de ſummo Templi faſtigio, hoc facto palam facturus, quantum in cœleſti ope confideret: *Si filius Dei es, mitte te deorſum*. Sathanas hoc quoque certamine propulſatus tandem perſonam abjicit, & vi facta Jeſum Chriſtum adoritur. Offert illi Mundi totius imperium, ſi procumbens coram ſe, ipſum tamquam numen adoraverit: *hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me*. *Idem.*

In tentatione Dæmon re adhuc integra ſe ſe gerit tamquam hominem alienorum malorum miſertum; mox ſe in lucis Angelum mutat, malum ſuadens non ſine ipſius Scripturæ auctoritate, quam perperam interpretatur. Denique fallaces luminis ejuſdem radii evaneſcunt, & aperit quid reapſe ille ſit. Malum, quod ſuadet, adeo manifeſtum eſt, ut Jeſus Chriſtus illum Sathanam vocet, & rubore ſuffuſum recedere jubeat. Congreſſus primus fuit puſillanimitatis tentatio; quaſi deeſſet Salvatori ratio poſt diutinum jejunium panem ſibi comparandi, niſi lapides in panes converteret. Alter fuit præſumptionis tentatio, quaſi Dominus opem ſuam fuiſſet pollicitus iis, qui ſcientes, ac volentes in graviſſima ſe conjiciunt pericula. Tertius autem fuit nequiſſimæ rebellionis tentatio; quaſi regnaturo liceret omnia fas, deque habere, divinas, humanaſque leges conculcare, & ad Sathanæ miniſterium confugere ad votorum ſummam aſſequendam. *P. Segneri in Meditat.*

Verſutia dæmonis ſtruentis inſidias.

Dæmon ſuos laqueos abſcondit, & in omnibus locis nobis tendit illos, ut prævidere nequeamus, ubi nos præſtoletur. Sed quid inde nobis inferendum eſt? Vigilantiam noſtram jugem eſſe debere, & infatigabilem contra hoſtem, qui numquam delaſſatur, & qui ubique invenitur; *Circuit quærens*. Quemadmodum imperator ſtatim arcem cognoſcere ſtudet, omniaque ſcrutatur opera externa, ut illam, qua infirmior eſt, aggrediatur; ita dæmon nos introſpicit, ut noſtram deprehendat infirmitatem, & illac vim faciat: *Obſervabit peccator juſtum, & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis*. Pſalm. 36. Hinc inferamus, quod ſi vigilare tenemur, & omnes cordis noſtri aditus tueri; diligentia noſtra duplo major eſſe debet, ubi major eſt infirmitas noſtra; nam illac præſertim nos perdere molitur inimicus: *Circuit quærens*. Denique tamquam ſicarius, qui deſperat ſe perfodere poſſe domum illius, cui cædem inferre meditatur, expectat momentum, quo ille domo pedem efferat, ut lethali vulnere illum confodiat: ita dæmon, ut e voto ſibi ſua cedat oppugnatio, tempus operitur; quo ex temet egrediaris, quo te objectis exterioribus tradas, quo pietatis praxim deſeras, ut omni ſummoto obice & curis ſuis, & tua utatur incuria, repente irruat in te, *ſicut leo paratus ad prædam*. Pſalm. 16. Hinc arguamus, quanam opus nobis ſit cura, ne aliquod pietatis prætermittamus officium, quod ſemel nobiſmet præſcripſerimus. Alioquin nequaquam elabamur ex manibus inimici, qui ſemper intentus eſt, ut ex minimis negligentiis noſtris proficiat. *Idem.*

Quomodo ſeſe gerere debeat Chriſtianus, cum a ſalutis inimico tentatur.

Si culpa tua, vel aliter acciderit, ut dæmon repente irruat in te, cave, ne te victum putes. Optimum, ac tutiſſimum quidem eſt illius impetum, furoremque prævertere; verumtamen cum ille nos aggreditur imparatos, adhuc tempus eſt illum feliciter propulſandi. Dæmon ſane nullam in nos habet poteſtatem, niſi hanc illi præbuerimus, & hoc innuit Princeps Apoſtolorum nos admonens, ut illum propulſaturi ad arma fidei confugiamus: *Cui reſiſtite fortes in fide*. Eo igitur temporis momento, quo te ab hoſte premi cognoſcis, in mentem revoca omnia fidei noſtræ placita, quæ doctus fuiſti *Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra*. 1. Joann. 5. Tunc memento vera in hoc mundo gloriam eſſe humilitatem; veram felicitatem eſſe adverſitatem, veras opes paupertatem, veram ſcientiam ſcire guſtare divina: nihil in terra utilius, vel magis neceſſarium eſſe, ſalute animæ tuæ. Verbo, ubi prælii tempus acceſſerit, arma te ipſum veritate, quæ magis opponitur tentationi, quæ te ſollicitum habet. Revoca te ipſum per fidem, ac minas, quæ intentatæ ſunt tibi, ſi victus fueris; nec non per remunerationem tibi promiſſam, ſi viceris. *P. Segneri in Meditat.*

Primæ tentationes, quæ a nobis ſuperandæ ſunt, radices ſuas habent in ipſa cupiditate, quæ nos a bono deflectere, & in malum pertrahere non ceſſat: *Unuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus*. Jacob 1. Aliæ vero originem habent in objectis exterioribus, quæ nobis exhibet mundus, qui cum ipſa conjurat cupiditate, ut nos a bono deterreat, & in vitium inducat. Concupiſcentia nos tentat illecebris ſuis, quemadmodum Samſonem Dalila. Mundus & illecebris, & injuriis nos tentat, uti Saul Davidem, Sed hi tentatores, quantumvis terribiles, minus eſſent metuendi, niſi infernus, ac Sathanas cum illis ſocia arma conjungerent. Hic in nos excitat concupiſcentiam, eique fert opem, ut mentem decipiat, ac fallat. Hic nobis mundi illecebras exaggerat, vel mundum animat ad magis torquendam virtutem, ut olim agitabat Saulem, ac inflammabat, ut Davidem perſequeretur. *Exagitabat eum Spiritus nequam* 1. Reg. *P. Segneri in Meditat.*

Dæmon ſuſcitat carnẽ & mundum contra nos.

Tamen dæmon ex ſe, proprie loquendo nihil poteſt; hoc unum licet illi, nempe contra nos duos infeſtiſſimos ſaluti noſtræ inimicos, mundum, & carnem ſuſcitare. Itaque curarum noſtrarum prima eſſe debet, noſmet adverſus carnem tueri; bellum quippe quod in nos ciet, bellum eſt inteſtinum, cujus ſemina in nobis metipſis gerimus, bellum, quod non niſi per corporis, animæque ſeparationem poteſt deſinere. Deinde adnitendum eſt, ut nobiſmet caveamus a mundo, quippe inimicus eſt, quo circum undique premimur. Quamcumque in partem noſmet convertamus, ſeſe nobis offert, in prælium vocat, petit, & in ipſa etiam ſolitudine, in deſerto, in iis locis, ubi cognoſcitur, ut omnes execrentur illum, nos ibi perſequitur. Si duorum horum inimicorum arma, & dolos evitare noverimus, facilem de dæmone triumphum referemus, qui omnes ab illis vires mutuatur, & qui eorum illiciis utitur. Foveo in corde meo cupiditatem, ſubdolum hoſtem, qui non niſi blandimentis me petit; Mundus circum undique ſuas jactat illecebras, ut me ſeducat; dæmon inceſſanter duos hoſce inimicos acuit, ab illis mutuatur arma, ut mihi bellum inferat, contra quem ex tribus hiſce inimicis vires meas convertere debeo? Dæmon non alias habet vires, niſi quas a mundo, & cupiditate mutuatur. Mundus ipſe ad me fallendum non alias habet illecebras præter eas, quas per cupiditatem mihi videor in illo invenire. Ergo contra hunc domeſticum inimicum conſtantius, atque diligentius bellum eſt inferendum. Mihi in præliis adeo pertinacibus, ac periculoſis opem fer Domine. Inimici mei ſimul aſtum, ac vim adhibent, qua præcautione utendum eſt mihi ad eorum evitandas inſidias? Qua animi firmitate, & conſtantia conatibus eorum obnitar? *P. Segneri in Medit.*

A tentationibus immunes eſſe non poſſumus.

Fieri nequaquam poteſt, ut in hoc mundo a quacumque tentatione ſimus immunes: *Militia eſt vita hominis ſuper terram*. Jacob. 2. Imo neque intereſt noſtra, omnino ab illa immunes eſſe; utiles quippe nobis ſunt tentationes noſtræ, modo iiſdem uti ſciamus: *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis*. Jacob. 1. Denique non eſt æquum, ut ipſi ab omni tentatione ſimus immunes; hoc enim eſſet coronari velle, quin antea vicerimus. *Hoc pro certo habet omnis, qui te colit, quod vita ejus, ſi in probatione fuerit, coronabitur*. Tob. 3. Ideoque cœleſtem Patrem oramus, non ne tentemur, ſed ne adeo violenter tentationum vi reſiſtere nequeamus. *Et ne nos inducas in tentationem*. Neque ideo exiſtimandum eſt, quod Deus re ipſa violentis nos objiciat tentationibus, ſed ille permittere poteſt, ut nobis accidant, & ſincere poteſt, ut illæ in nobis eam efficiant impreſſionem, quam ſuapte natura poſſunt efficere. *Induxiſti*

duxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro: impoſuiſti homines ſuper capita noſtra. Pſal. 65. Quæ omnia ſignificant, Iſraelitas, permittente Deo, tot malis obrutos fuiſſe, quæ vix, & ne vix quidem a natura poterant ſuperari. Quod ad nos pertinet, oratio, quam hic fundimus Domino, duo continet. Primum quidem generatim petimus vim, ne umquam tentationi præbeamus aſſenſum, & hoc pacto Deum oramus, ut nos ab omni malo præſervet. Secundo peculiariter rogamus, ne iis probemur tentationibus, quibus certiſſime ſemper vinceremur, & hac ratione non ſolum Deo noſtram fatemur infirmitatem, ſed etiam teſtamur ſincerum, in quo ſumus, deſiderium nequaquam in odium illius incurrendi. Non equidem abs te peto, Deus meus, ut omnes a me procul ſummoveas tentationes; non ſine miraculo ab omnibus immunis eſſe poſſem; immo utile eſt etiam homini Chriſtiano illis eſſe obnoxium; ad eam enim anhelat coronam, illis tantum promiſſam, qui legitime certaverint. Hoc igitur rogo, ut in ea, in qua poſitus ſum pugnandi neceſſitate, non ſinas me vinci, ſed ita tentationes meæ imbecillitati, opem tuam numero; ac robori inimicorum meorum accommodes, ut ſemper e certamine victor diſcedam. *P. Segneri in Medit.*

Media ad tentationem evitandam.

Apoſtolus nos hortatus, ut nolimus *locum dare diabolo*, ſatis oſtendit in noſtra poteſtate ſitum eſſe, hunc illi detrectare. Hinc videmus ad tentationem ſuperandam, ſatis eſſe velle, & dicere dæmoni: Tu quidem ingredi vis in cor meum; ego autem nolo. Quis adeo inſipiens eſt, qui patiatur, furem, leonem furentem, Draconem virus, tabemque exhalantem ingredi domum ſuam, cum illos poſſit ſummovere? Ad ſolum horum monſtrorum adſpectum, quis licet eminus illa proſpiceret, alienam opem non appellaret. Vos autem ultro dæmoni aditum præbebitis, qui unus longe terribilior eſt, quam omnia bruta ferociſſima, omneſque crudeliſſimi homines ſimul in veſtram perniciem collecti? *P. Segneri in Medit.*

Quid proprie ſit dare locū diabolo.

Quinam proprie illi ſunt, qui dant locum diabolo? Illi ne ſunt, qui omnes eidem aperiunt aditus, ut in cor ipſorum ingrediatur? Nequaquam; Peccatores id genus non ſolum omnibus inimici conſiliis favent; verum illum in arcem introducunt, & ejuſdem imperium ei conferunt. Dare locum diabolo eſt, illi infirmum aliquem locum relinquere, qua poſſit in cor noſtrum obrepere; ſibi non cavere ab inſidiis illius, ejuſque ſuggeſtionibus autem præbere. Ita agunt inertes homines, quos nulla re non occupatos omnia deſtinent; animæ diſſipatæ, quarum ſenſus ſemper patentes facile admittunt obvia quævis objecta; inquieti ſpiritus, quibus ſemper aliqua re perturbantur, ſemperque aliqua laborant indignatione, odio, ægritudine vel contra alios, vel contra ſe ipſos. Omnes iſtæ affectiones dæmoni favent; hoc illi opportunum tempus eſt, quo ad nos tentandos accedat. Tunc blandiri incipit illud probaturus ſtudium, quo proni ferimur in malum: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradiſi?* Geneſ. 3. Neque enim ſperat futurum, ut re adhuc integra ſibi cor noſtrum aperiamus; aliquem dumtaxat aditum in illud ſibi aperire contendit. Væ vobis, ſi dæmoni parum illud; quod petit; permiſerimus; gradatim progreditur ea mente, ut poſtmodum penitus in cor ipſum via ſibi faciat. Primum quidem illi ſcire ſatis eſt, cur Deus nobis hoc, vel illud præceperit: *Cur præcepit?* Mox hoc præceptum imminuit; deinde illud condemnat, ac tandem ad idem contemnendum inducit: *ingreditur blande, ſed in noviſſimo mordebit, ut coluber.* Prov. 23. *P. Segneri in Medit.*

Tentationi ergo reſiſtere, eique reſiſtite ab initio, videlicet ſimul ac tentationi eſſe cognoſcitis. Neque enim ſatis eſt conſenſum negare tentatori, opus eſt etiam, ut Apoſtolus præcipit, nullum eidem acceſſum præbere: *Nolite locum dare diabolo.* Vobis metipſis invigilate, & fatebimini, ſi vos diabolus tentat, hoc ut plurimum culpa veſtra accidere, quippe incuria, & ignavia illi vos tentandi locum præbet. Quis magis irreconciliabilis, quis magis verſutus mihi inimicus eſt dæmone? Et nihilo ſecius opus mihi hortationibus eſt, ut mihi invigilem, ut caveam mihi! Hæc cæcitas eſt incredibilis, qua in eo, quod vere, & unice intereſt mea, nihil video. Spero fortaſſe, me prohibere poſſe, quominus corde meo potiatur. Et jure, dummodo illa præcaveam, quæ ad periculum evitandum ſunt neceſſaria, ſimulque nihil prætermittam, ut me ad vires hoſtium propulſandas diſponam. Ad id ne jure ſperem, cum per temeritatem omne periculum contempſero? *P. Segneri in Medit.*

Deus non concedit peculiares gratias illis, qui ſe objiciunt tentationi.

Quænam noſtra eſſet ſtultitia, ſi in inimicorum noſtrorum laqueos ultro incideremus, qui diligentiſſime nobis ſunt evitandi? *Numquid cadet avis in laqueum terræ abſque aucupe?* Amos 3. Hoc tamen ipſi ultro facimus, cum quin tentemur, & inimici nos in laqueos ſuos pellicere ſtudeant, noſmet in manus eorum projicimus. At ſciamus nos tunc fruſtra cœleſtem orare patrem his verbis: *Ne nos inducas in tentationem.* Nonne hoc eſt quodammodo inſultare Deo, cum ab eo petimus, ut nos ſervet, ſi tempore eodem ultro ad peccandum prolabimur? Oratio proculdubio nobis divinam procurat opem iis in occaſionibus, quæ præter voluntatem noſtram accidunt nobis, & quas evitare non licet, non autem in illis, in quas per curioſitatem, libidinem, ignaviam incidimus. Qui *immiſit in rete pedes ſuos . . . . tenebitur planta illius laqueo.* Tob. 18. Qui provocat colubrum, ac leonem, nonne meretur, ut nemo illius miſereatur? *Quis miſerebitur incantatori a ſerpente percuſſo, & omnibus, qui appropiant beſtiis.* Ipſi inimicos provocamus, & volumus Deum miſertum noſtri ictus nobis intentatos avertere. Quandonam igitur Deus orationem noſtram exaudit, licet nos metipſos in periculoſam occaſionem venerimus? Tunc videlicet, cum ſtatus noſtri officia, obedientia ſuperiori debita, vel lex charitatis noſmet illi objicere jubent. Cum Judith zelo animata libertatis patriæ ſuæ convenit voluptuoſum Holophernem in illius tabernaculo, fidenter quidem dicere poteſt Domino: *Da mihi in animo conſtantiam, ut contemnam illum, & virtutem, ut evertam illum.* Judith 9. Præter id genus circumſtantias, ne ſperemus, Deum nobis opem lauturum in periculis, quæ prævidimus, & conquiſivimus. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Eccl. 3. Hoc eſſet ab illo miracula flagitare hac una de cauſa, ut tuto nobis liceret cupiditatibus noſtris ſatisfacere, ut verbo dicam; hoc eſſet illum tentare, non autem orare, ne nos in tentationem inducat: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Matth 4. Quamcumque curam adhibeamus tentationes noſtras ſuperaturi, meminerimus inceſſanter dicere Domino. *Ne nos inducas in tentationem.* Niſi Cœleſtis Pater nobis opem ferret, quid omnes curæ noſtræ valerent? Quacumque utamur ſedulitate, periculum eſt, ut in ſingula momenta in nos ſexcentæ ſæviant procellæ æque inopinatæ, ac furantes *Vigillate, & orate, ut non intretis in tentationem.* Marc. 14. Vigilate, quia Deus ſine vobis ſalutem veſtram non operabitur: Orate, quia ſi deſit auxilium Dei, irrito conatu ſalutem veſtram operabimini. *Pater Segneri in Meditat.*

Quid ſit proprie tentatio, & in quo conſiſtat.

Nos ex nobis adeo ſumus infirmi, ac tanta difficultate noſmet tueri poſſumus ab omnibus periculis, quæ ab hac vita ſeparari non poſſunt, ut extrema ſtultitia vocari poſſit temeritas noſtram objiciendi imbecillitatem tot caſibus, qui occurrunt, & adeo imprudenter impingendi in vaſa fragilia, quæ ad leviſſimum quemlibet ictum in ſexcenta fruſtra diſſiliunt. Dei Filius præcipit, ut noſtrum eruamus oculum, ubi nobis ſcandali occaſionem præbuerit. Quid ſibi vult, oculum eruere? Jubemur ea abrenuntiare, quæ nobis ſunt chariſſima, cum nos in peccatum impellunt. Quid reſpondit Salvator dæmoni in deſerto tentanti? *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Verum quid eſt tentare Deum? Nonne eſt, quærere tentationem, noſmet objiciendo periculis, ubi funeſta docti experientia cognoſcimus centies, & iterum centies periiſſe? Quot mortales Deum tentant! Scitis, ex. gr. illuſtres mundi matronæ, quotieſcumque voſmet ſupervacuis ornatibus, mundoque muliebri caput ædificaſtis, in vobis metipſis aliquot oblectationis, ac inanis gloriæ motus expertas fuiſſe: voſmet ſæpius hoc de crimine in ſacro pœnitentiæ tribunali accuſaviſtis: nihilominus, quantumcumque adnitatur Confeſſarius, evincere nequit, ut inania hæc mundana ornamenta abjiciatis. Numquid hoc, Deum tentare, vocari non poteſt? Nonne hoc eſt tentationem quærere, ac ſcientem ac volentem ſeſe illi objicere? Nonne hoc etiam eſt, alios quoque in periculum adducere? *Lambert in anno Evangelico Tom. 2.*

Nonne verum eſt perſonæ hujus conſuetudinem innocentiæ tuæ eſſe funeſtam? eam tibi periculoſiſſimam eſſe tentationem? venenum eſſe ſubtiliſſimum? Te numquam ab ea diſcedere, quin ſentias noxium impuritatis ignem ſenſim in corde inflammari. Attamen adhuc in hunc locum feſtinas, ubi fere certus es, te vitæ gratiam amiſſurum, & ubi fortaſſe toties feciſti naufragium. Hoc vocatur quærere tentationes, quærere occaſionem lædendi Deum. Mundi fragor nos obſtupefacit, nos diſſipat, nobiſque omnes pietatis ſenſus aufert, & conſilium capere non poſſumus relinquendi mundum, & abrumpendi funeſta vincula, quibus in peccati captivitate adſtricti tenemur. Nonne hoc eſt noſmet exponere tentationibus aptiſſimis ad nos in graviora peccata producendos? In hoc cœtu interſumus, ubi detractionis dæmon ſuum exercet imperium; proximi fama ibi diſcerpitur ejuſque nomini labes offunditur, & ille majori habetur in pretio, atque laudatur, qui callidius acutis venenatæ linguæ jaculis fratris officit tentationi: hoc Deum tentare dicitur. Novimus ad ſtatum hunc amplectendum, ad magiſtratus illius munera obeunda tantum requiri luminis, quantum firmitatis; luminis, ut impeditiora jura ſecernere poſſis, firmitatis, ut iniquitati reſiſtas: nos autem cæci ruimus in hunc ſtatum cum iis animi affectionibus, quæ prorſus oppoſitæ ſunt iis, quæ ad ſalutem noſtram operandam ſunt neceſſariæ. Cogitamus ne, nos natos eſſe iis muneribus adimplendis ſatis pares; alios vero non niſi diuturno ſtudio idoneos fieri? Velle eſſe magiſtrum ſine examine; eruditum ſine ſcientiis, prudentem ſine experientia, hoc eſt ſeſe cæco impetu in præceps dejicere. Temere noſmet tot aliis objicere periculis, ubi virtus, & innocentia noſtra laborant, & ubi nos parum aptos cognoſcimus, ut vel leviſſimæ tentationi reſiſtamus, hoc eſt velle perire, ac ſuperari. Notis periculis ſeſe ultro objicere, hoc vocatur quærere tentationes; ad interitum ruere, & liberum dæmoni aditum præbere. *Lambert in anno Evangelico Tom. 2.*

Tentationes adeo ſunt in terris communes, ut nemo earum ſit expers. Sed periculoſiſſimæ, & ad ſuſtinendum difficillimæ procul dubio ſunt tentationes carnis. Quamobrem Dæmon ſemper hoc veluti inſtrumento uſus eſt ad ſanctiſſimos viros in ſcelus pertrahendos, quos neque avaritia, neque ambitio corrumpere valuerant. Exemplum Apoſtoli Gentium ab ipſo prolatum adeo inſigne eſt, ut nemo noverit. Satis erit huc referre, quæ S. Hieronymus de ſeipſo ait in hoc argumento. Quoties mihi contigit, Sanctus Doctor ait, in horrenti vaſtaque ſolitudine, me ipſum putare tamquam medium inter Romæ delicias, atque ſolatia! Tunc ſolitarius in ſilentio memet continebam, quoniam cor meum repletum erat amaritudine. Indutus eram cilicio, & caro mea, tamquam Æthiopis atrorem induxerat. Plorabam, & gemebam; cumque me ſomnus opprimebat, confracto corpore humi cubabam. Numquam de cibo loquebar, ſatis eſt dicere, me licet infirmum non niſi aquam epotaſſe, & nimias exiſtimaſſe delicias aliquid igni coctum comedere. Ego igitur, magnus hic vir ſequitur, qui propter metum ignium æternorum in hanc me ſolitudinem receperam, ubi non alia mihi eſſet ſocietas, niſi cum feris, atque ſcorpionibus, ego inquam, qui per jejunium expallueram, & ad maciem redactus eram, ut cadaveri ſimilis viderer; ſentiebam tamen in languenti frigidoque corpore ardores impuræ libidinis æque ac ſi choreis, & mulierum cætibus adfuiſſem. Poſt tale exemplum mirum non eſt, ſi nos qui temere noſmet exponimus omnium mundanorum ſocietatibus adeo parum evitantium occaſiones in graviſſima ſcelera proruendi; mirum, inquam, non eſt, ſi quotidie in teterrima incidimus crimina. Sapiens enim nos monet, quod *qui amat periculum, peribit in illo. Recens Auctur.*

Tentatio eſt quoddam veluti prælium quod victori gloriam immortalem promeretur.

Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, recipiet coronam vitæ. Jacob. 1. Futuris temporibus idem accidet, quod primis Eccleſiæ ſeculis; Fideles ſemper iis patebunt tentationibus, quæ a S. Jacob probationes vocantur, quia ſicuti aurum probatur igni, ita ſervi Dei probantur tentationibus, quas ſi ſtrenue ſuſtinent, æternam mercedem referent, quæ eſt vita æterna. Tentatio proprie loquendo prælium eſt, quia corona vitæ obtineri non poteſt niſi ſtrenue dimicando contra mundum, carnem, & dæmonem, qui ſunt inimici Dei, & qui Fidelibus ſexcentas nectunt inſidias, ut hos ab ejuſdem ſervitute dimoveant. Permittit Deus tentationes, ut ſervi ſui pugnare poſſint, & pugnantes victoriam referre. Cumque illis ſubſidia ad hanc rem ſuppeditaverit, ipſe poſſit victoribus concedere immortalem gloriæ coronam, quam ſe illis daturum propoſuerat, permittens, ut illi tentationibus probarentur. *Auctor recens.*

TIMOR DEI;

JUSTITIÆ, JUDICIORUM EJUS, &c.

MONITUM.

MIRUM profecto eſt, adeo infrequenter de ſuggeſtu argumentum hoc pertractari, quamvis non aliud eſt, de quo ſæpius Biblia, Patreſque loquantur & alioquin aptiſſimum eſt ad vehementem in animis peccatorum impreſſionem efficiendam. Hoc inde fortaſſe contigit, quia nimis late patere creditum eſt, & quod quæcumque cauſa, quæ hunc nobis incutere timorem debet, peculiare eſſe poteſt concionis, vel exhortationis argumentum. Verum hoc ipſum dici poſſet de pœnitentia, de mortali peccato, de amore Dei, deque aliis plurimis id genus argumentis plures partes, vel plura habentibus membra, quod tamen non obeſt, quominus generatim poſſint conſiderari. Ita quamvis Dei timor elegi poſſit pro totius Adventus argumento, cauſas, effectus, & conditiones illius ſejungendo, ſinguliſque integræ concionis magnitudinem tribuendo; illum tamen in ſe ipſo iſtic conſiderabimus; cumque omnino ſeparari nequeat a cauſis illum cientibus, effectibuſque inde exiſtentibus, hæc tamen indigitare ſufficiet.

Animadvertendum dumtaxat eſt, cum Dei timor juſtis æque, & peccatoribus ſit neceſſarius, cavendum eſſe, ne eo procedamus, ut illi quidem de divina miſericordia diffidant, hi vero decidant in deſperationem. Quapropter aliquid ſemper divinæ bonitatis immiſcendum eſt graviſſimis effectibus juſtitiæ, quos oſtendere oportet veluti minas, quæ metuendæ ſunt, ut evitentur.

Quod ſpectat ad ordinem, modumque argumenti hujus pertractandi, operæ pretium eſt Dei probare providentiam in juſtitiæ ipſius ſeveritate, ac ſuppliciis, quæ in plurimos peccatores in hac vita exercet, & quæ in altera exercebit in reprobos; atque in hoc potiſſimum immorari, quod admonitus peccator habet adhuc modum, & otium ſibi proſpiciendi, atque ſuæ tantum ſuccenſere poteſt improbitati, ſi in caput ſuum tantum detrahat mali, quod parum adeo veritus eſt.

PARA-